



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Ad Vnum Corpus Redactus

Philosophiæ R. P. Francisci De Oviedo Madritani Societatis Iesv Sacræ
Theologiæ Professoris Tomus II

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

Controversia I. De Anima, & de eius informatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95526)



CONTROVERSIÆ ANIMASTICÆ.

A V C T O R E

R. P. FRANCISCO DE OVIEDO
E' SOCIETATE IESV.

P R O O E M I V M.



ROGREDITVR nostra disputatio cum Philosopho ad agendum iam de Corpore Animato, de quo Aristoteles in libris de Anima, quorum materiem explicare in his nostris Controversiis opus erit.

Vocant nonnulli in quæstionem, an libri de Anima agant de corpore animato, an de ipsa anima? quod neque animo contentionis amico poterit disputationis materiem ministrare: Exposcebat enim totius Philosophiæ ordo Aristotelem de corpore animato in præsentiarum disputare: egerat enim in libris Physicorum, de corpore in communi; in libris de cælo, de corpore incorruptibili; in libris de generatione, & corruptione, de corpore generabili, & corruptibili: Nunc iam obiectum librorum Physicorum, quod in libris de cælo, & generatione ad certas species contraxerat, iterum magis contrahit ad speciem corporis animati. Verumtamen, sicut in libris de corpore generabili, & corruptibili, de generatione, & corruptione semper agitur, & de ortu, & interitu, seu de generatione, & corruptione inscribuntur, quia omnia quæ specialiter corpori generabili, & corruptibili conueniunt, sunt per ordinem ad generationem, & corruptionem: sic in libris de corpore animato, de anima semper sermo instituitur, & libri de anima ab omnibus vocantur, quia omnia propria corporis animati ratione animæ, per quam constituitur, illi conueniunt. Mitto non posse agi de corpore animato, quin agatur de anima, quæ est illius essentialis, & præcipua pars.

Nec maioris momenti est quæstio alia; an videlicet ad Animasticum pertineat agere de anima separata. Stant nonnulli pro negatiua parte, quia anima separata non componit ens naturale, ac proinde est extra obiectum totius Philosophiæ, quod intra terminos totius naturalis corporis continetur. Magis ad veritatem accedunt qui asserunt animam separatam pertinere ad Philosophiam, & ad hanc illius partem, quia eidem animæ, quæ adiuncta materiæ corpus animatum constituit, status separationis contingit, ac proinde de hoc statu debet agere Philosophus, sicut de accidenti proprii obiecti Animæ, videlicet potentis totum naturale constituere. Res est, vt iam dixi, parui momenti, in qua qui vellet primum retinere dicendi modum, posset respondere agere de anima separata, & de statu separationis modo prædicto semper esse agere de anima quatenus dicit ordinem ad coniunctionem cum materia, quod non est agere de animâ separatâ præcisè vt separatâ; sed de anima separatâ, quatenus est quædam anima potens cum materia Totum substantiale componere.

CONTROVERSIÆ PRIMA.

De Anima, & de eius informatione.

P V N C T V M P R I M V M.

Quid sit Anima.



1 **A**RISTOTELIS lib. 2. de anima, cap. 1. text. 6. Animam his verbis definit: Anima est *actus primus* corporis naturalis, potentia vitam habentis, tale autem, quod vique sit instrumentale. Ex qua definitione communi consensu hanc depromunt Philosophi:
Franc. de Oviedo, Philosoph. Tom. 11.

Actus primus corporis physici, & organici, potentia vitam habentis. Ly physici, substituitur loco naturalis, quod Aristoteles posuit in sua definitione, & ly organici, substituitur loco illius complexi, tale autem quod vique sit instrumentale, quod idem significat, ac si diceretur, tale autem quod organici, & ita rectè eorum resoluitur in illud obliquum organici, positum in definitione, quam vulgus circumfert.

Ratio *actus primi*, in definitione posita, communis est viuentibus, & non viuentibus, quia omnia composita
A 2 subitan

substantialia constant materiâ, & formâ, quæ actus primus dicitur; & ita particula illa *actus primus*, locum generis obinet in hac definitione. Actus primus, respectu secundum dicitur: Tamen non semper respectu secundum eodem modo accepti. Actus primus, apprimè dicitur Virtus quædam, seu potentia ad effectum, respectu proprii exercitij, seu productionis effectus: In hoc sensu dicitur anima actus primus, respectu actionum vitalium, quia est prior illis, & tenens se per modum actus primi ad tales actiones ipsam in actu secundo intelligendi, & amandi constituentes. Alio modo dicitur actus primus, hoc est, primarius, respectu actus secundarij, qui primarius dicitur, non quia sit virtus productiva respectu illius, in ordine ad quem dicitur primus, aut primarius, sicut ipse actus secundarius non dicitur talis, quia dependeat à primario, tanquam à virtute producente, sed actus primarius dicitur, quia reliqui actus ad ipsum ordinantur, & secundarij dicuntur reliqui actus, qui ad alium dicuntur. Hac ratione quælibet forma substantialis, dicitur primarius actus materiæ, respectu quantitatis, quæ dicitur secundarius, licet non producat à forma, quia quantitas ex natura sua ordinatur ad formam substantialem, & substantia non ordinatur ad quantitatem. Vtramque rationem actus primi, reperiri in anima certum est, quia est actus primus, & virtus productiva suarum operationum, & est forma substantialis, primò informans materiâ, & constituens compositum. Affirmo tamen, in definitione ly *actus primus*, non significare actum primum primo modo sumptum, videlicet virtutem naturæ priorem effectui, quia si hoc sibi vellent particula illa *actus primus*, anima non esset dicenda actus primus corporis; siue corporis nomine totum compositum, siue materia prima significetur, quia anima, neque virtus est productiva materiæ primæ, nec totius compositi, neque aliquam causalitatem propriam exercet, respectu materiæ, vel compositi: potius debet dici actus primus operationum, respectu quarum anima proprie, & strictè est prior naturâ. Significat ergo particula illa, *actus primus* posita in definitione, idem quod primarius actus, seu substantialis forma, cuius conceptum explicui *prima philosophorum*, *controverf. 3.* ubi egi de conceptu metaphysico formæ substantialis, proptèr distinctiâ à conceptu metaphysico alijs comparatis essentialis, videlicet materiæ.

3 Circa particulam illam *corporis*, occurrit dubium. quid intelligatur nomine *corporis*, an materia prima? an totum compositum? Nonnulli nomine *corporis* intelligunt totum compositum, non secundum omnes gradus viventis, quos habet ab anima, secundum omnes gradus viventis, quos habet ab anima, ut forma constitutiva compositi corporei, abstrahentis à viventi, & non viventi. Huius opinionis meminit Angelicus Doctor ad caput primum *libri secundi de Anima*, & in *1. sententiarum*, *dist. 25. q. 1. art. 1. ad 2.* eamque corporis acceptionem refert Noster Suarez *tom. 1. Metaphys. disp. 15. sect. 10. num. 15. & in 3. p. tom. 3. disp. 51. sect. 4.*

Alij nomine *corporis* totum compositum animatum intelligunt, cuius anima est actus primus constitutivus.

Alij volunt nomine *corporis* intelligi, in hac definitione materiâ primam connotando organa apta ad actiones vitæ obeundas. Sic Argentin. in *4. dist. 13. q. 1. art. 1. Gregor. in 1. dist. 16. qu. 1. 2.*

Alij nomine *corporis* intelligunt nudam materiâ primam. Ita Conimbr. *lib. 2. de anima, cap. 1. q. 1. art. 1.* Posset etiam dici, iuxta Scoti opinionem, nomine *corporis* intelligi materiâ primam informatam formâ corporeitatis distinctâ ab anima.

4 Displicet prima explicatio, quæ nomine *corporis* vocat corpus metaphysicè sumptum abstrahens ab animato & inanimato; quia hæc definitio non datur per conceptus metaphysicos, sed per physicas entitates, quales sunt forma animalica, & totum, vel compositum, quod constat ex ipsius terminis definitionis, & clariùs ex toto contextu Aristotelis *cap. cit.* Deinde si hæc ratio sumeretur corpus, non posset dici respectu illius anima actus corporis organici, quia corpus metaphysicè sumptum, abstrahens ab animato, & inanimato, non est organicum, neque in illo ratio aliqua organici, neque radicalis, neque formalis reperitur. Ultimam explicationem non omnino reicebam, si formam corporeitatis cum Scoto admitterem; in mea tamen, & communi sententia, quæ formam hanc relegat, illa explicatio locum non invenit.

Conimbricæ, loc. cit. & ex illis plures alij reiciunt explicationem Soncinatis, quia ratio organica explicatur illa particula *organici*, ac proinde contineri nequit in præcedenti *corporis*. Hæc impugnatio levis ponderis est; illius enim auctores non intendunt particulam *corporis*, præcisè sumptam significare deorganizationem, sed inquirunt, quæ corpus dicatur actus anima in definitione propolita; & respondent dici actum materiæ connotantis deorganizationem, siue hæc connotatio significetur per particulam *corporis* connotantis aliam *organici*, siue per vtramque, quod parum ad rem attinet.

Nomine *corporis*, posse intelligi, tum materiâ primam tum totum compositum, si tantum attendatur ad verba in definitione posita, quàm plurimi censent, quia anima est actus constitutivus compositi cuius dicitur forma propria, sumè, & strictè acceptione, dicimus enim, anima rationalis est forma hominis. Similiter est actus informans materiâ, quæ dicitur potentia respectu illius, & tam corpus quàm materia sunt organica, & illorum actus, actus corporis organici dici potest. Hæc explicatio difficultatem patitur non leuem, quàm à n. 15. expendam.

De mente Philosophi fert communis sententia nomine *corporis*, materiâ primam intelligi. Ita Conimbr. *supra*, Hurtad & Arriaga, & communiter recentiores, explicantes hanc definitionem. Probat Hurtadus hanc conclusionem ex *1. Polit. c. 3. ad medium*, ubi hæc Aristoteles: *Præterea quidem, aut præter dispositum, sepe invenitur corpus imperare animo*, de quibus verbis nomine *corporis* materiâ significari vult Hurtado, & ex hac significatione desumit ad probandum, nomine *corporis*, in definitione eodem modo animam significari. Si liceret in hoc loco ex acceptione *corporis* argumentum facere, ad explicandam particulam *corporis*, in definitione animæ positam, dicerem ego, nomen *corporis* in prædicta definitione totum compositum importare, quod planè importat in verbis ab Hurtado relatis. Cum enim dicit Aristoteles corpus imperare animo, non dicit materiâ primam animo imperare: quod enim imperium habere potest materia prima secundum se sumpta respectu animæ, sed totum ipsum compositum, seu ipsam animam, proptèr elicentem actus vitales corporeos, qui ex natura sua dependent à corpore, sicuti sunt actus sensuum exteriorum, & interiorum, appetituumque interni materialis, imperare eidem animæ, hoc est illam trahere, & allicere ad actus appetitus rationalis, ita ut hæc eligat, non secundum id, quod ratio proponit, sed secundum illud, ad quod appetitus inclinat. Do tamen hoc alii quæ plurimis testimoniis Aristotelem nomine *corporis* materiâ primam significare, si testimonia illa desumpta non sunt ex ipso contextu definitionis, ad rem non sunt, quia cum nomen *corpus* ex se æquè bene possit poni ad significandū totum compositum, & materiâ primam, potuit Aristoteles illo vti in vno loco ad materiâ primam, & in alio ad totum compositum significandum. Ex qua doctrina rectè respondent Conimbricenses alijs, qui intendunt probare nomen *corporis* in definitione animæ significare totum compositum. Neque hæc solutio posset adhiberi ad testimonia, quæ ex ipso contextu definitionis desumuntur, quia non licebat Aristoteli vti eodem nomine in diversis significationibus agenti de eadem materiâ, & sub eodem capite, eademque contextura vrenti.

Nomine *corporis* Aristotelem intellexisse materiâ primam efficaciter suadent plura testimonia ex contextu definitionis desumpta. Sic enim habet textu 4. *Quoniam autem corpus huiusmodi vitæ habens non erit visque corpus animæ, non enim est eorum, quæ in subiecto corpus, magis autem sicut subiectum, & materia est.* Quæ verba toti cõposito nullatenus aptari possunt, & apprimè materiæ quadrant, quæ est prima subiectum. Ex text. 7. immediatè post definitionem animæ hoc habet: *Vnde non oportet querere si vitæ, & omnia, & corpus, sicut neque ceram & figuram, neque omnino vitæ, sicut figuram, & idcirco est materia.* Quibus verbis supponit Arist. tanquam certum, animam distingui à corpore, sicuti figuram à cera, quæ est mutua distinctio formæ à subiecto, & nō distinctio inadæquata, quæ est inter formam, & compositum, cera enim, & figura non ita se habent, sed sicuti materia, & forma, quod explicat Philosophus per illa extrema verba: *Et ita vitæ materia.* Et text. 10. sic habet: *sed sicut oculi, & pupilla & visus & ibi omnia, & corpus animal.* Quibus verbis exprimit compositionem ex corpore, & anima, hoc est, ex materiâ, & anima, quia ex toto cõposito nulla

9 nulla sit compositio; quod constat ex comparatione facta à Philosopho, in compositione ex pupilla, & visu, seu potentia visiva; pupilla enim non est totum compositum, sed subiectum, quod cum potentia oculum componit. Constat etiam ex ipso contextu aliquando Philosophum nomine totius materiam significasse, nomen enim oculus, quo hic compositum significat desumpserat text. 9. ad materiam illius significandam, his verbis: *Hic enim* (de visu loquitur) *est substantia* (hoc est forma) *oculi, quæ secundum rationem; oculus autem materia, visus est.*

9 Obiicies primò Aristotelem textu 8. Vbi hæc habet: *Vniuersaliter igitur dictum est, quid sit anima, substantia enim, quæ secundum rationem, hoc autem est, quod quid erat esse huiusmodi corporis.* Ergo Aristoteles nomine corporis non intellexit materiam primam, nam forma non est, quod quid erat esse materiam; sed compositum. Respondeo, formam dici quod quid esse materiam; non quia sit de essentia illius, vel constitutiva ipsius materiam, sed quia est actus illam determinans ad substantiale compositum constituendum.

10 Obiicies secundò: Lapis non dicitur constare corpore, & forma, est ex materia, & forma compositum; ergo materia non est idem cum corpore. Resp. materiam habere rationem corporis propriam, & philosophicè loquendo, inualuit tamen visus, ut hoc tantum nomine gaudeat materia organica, vel totum compositum adæquatum.

11 Obiicies tertio. Actus primus est idem, ac id, quod est de primo conceptu materiam; ergo non est actus primus respectu illius. Respondet Arriaga; animam esse de primo conceptu materiam, non constitutiuo, sed completiuo. Duplicet solutio, quia anima non est de conceptu constitutiuo materiam, neque completiuo in esse materiam, sed de conceptu constitutiuo totius, & complectente simul cum materia essentiam compositi, sicuti materia est de conceptu totius, & de conceptu cõplente simul cum forma essentiam compositi. Melius respondetur negando primum illud antecedens; hic enim actus primus non sumitur pro primo conceptu alicuius rei, licet aliquando terminus iste hanc significationem sortiatur, sed pro illo, quod est primarius terminus potentiam, cuius dicitur actus, & hac ratione anima iure optimo dicitur actus primus materiam.

12 Per particulam *physicæ*, seu *naturalis* excluditur materia, seu compositum artificiale, quorum anima non est forma constitutiva, neque actus, illud tanquam potentiam recipiens. *Organici*, id est, dispositi per temperamentum heterogeneum in ordine ad diuersas partes subiecti, iuxta exigentiam determinatam formæ. Hæc deorganizatio tantum continet viuenticibus, licet enim cælum, Iaspis, & alia huiusmodi composita habeant diuersum temperamentum in partibus diuersis, nihilominus hæc diuersa temperatura in partibus diuersis deorganizationem non constituit, quia non est certo ordine, ac fixa regula præscripta in omnibus corporibus eiusdem speciei; sed hoc habet hanc mixtionem temperamentorum in suis partibus, & illud aliam, & non omnes iaspides eisdem colores, vno ordine habent dispositos. Neque cælum, quod hæc astra habet in tanta distantia, exigit illa non habere alio modo disposita; neque hæc numero astra, & non plura, neque pauciora in se habere. Cadaver deorganizationem habet relictam ex forma præcedenti, quam forma cadaueris potius destruit, quam exigit. Forma embryonis, si specialis est forma, deorganizationem habet, non quam exigit ratione sui, sed quæ exigitur ad formam viuentic illi successuram.

13 Volunt Conimbricenses verbum *organicum*, idem valere ac potentia vitam habentis, quod tradunt loco citato ex Themistio, Alex. Philop. D. Thoma & aliis. Mihi tamen difficile est hoc admittere, licet enim rectè inferatur ex deorganizatione potentia ad vitam, quam exprimunt verba illa, *potentia vitam habentis*, quæcunque illa sit, realiter tamen maximopere differunt deorganizatio, quæ consistit in temperamento qualitatum, cum tanta quantitate, & sub tali figura, & potentia ad vitam substantialem, vel accidentalem.

14 *Potentia vitam habentis.* Explicabitur, quæ sit hæc potentia, si prius terminum illius inuestigemus. Duplex est vita, quedam *substantialis*, & per modum actus primi, atque potentie; alia *accidentalis*, per modum actus secundi atque actionis. Iuxta explicationem à nobis datam de particula corporis in definitione posita, non possunt vteriora de vita

Franc. de Quiedo, Philosoph. Tom. 11.

accidentali actus secundi explicari, quia materia prima non est potentia, neque in potentia esse dicitur ad vitam accidentalem, actionesque vitales, videlicet intellectio, nem, visionem corpoream, reliquasque huiusmodi operationes aliquo modo exercendas; ergo verba illa intelligentia sunt de vita substantiali, hoc est, de vita ad modum actus primi principij vitalium actionum, cuius ratio conuenit animæ, ad quam materia est in potentia tanquam primum subiectum ad formam per quam informatur.

His positis: dico potentiam illam, quæ in definitione exprimitur, non esse actiuam neque passiuam, quia materia prima non habet potentiam actiuam ad formam substantialem, neque potentia passiuam est de ratione constitutiva materiam, sicuti neque de conceptu constitutiuo formæ non est posse recipi in materia, ut probauit *Philosophum controu. 2. & 3.* Affirmo insuper potentiam illam esse terminatiuam vniõis ad formam per modum partis materialis, seu subiecti, vel potentie perfectibilis, cuius conceptum explicui latè loco citato. Conclusio probanda est ex ibi dictis, vbi probauit hanc tantum potentiam esse essentialem & constitutiuam materiam, respectu formæ. Dices hanc esse potentiam, quam habet ad omnes formas etiam non viuentic, ad formas tamen viuentic indigere alia potentia magis speciali. Respondeo per eandem potentiam, respicere materiam formas viuentic & non viuentic, omnes collectiue tanquam actum adæquatum, & singulas diuisione, tanquam actus inadæquatos; connotare tamen in ordine ad formas viuentic deorganizationem, quam non connotat in ordine ad alias formas.

Si nomine *corporis* intelligeretur totum compositum, vita in definitione significata esset vita in actu secundo, hoc est, actiones reales, ad quas compositum est in potentia, & non ad formam, quam in se habet, & cum qua inadæquate identificatur. Intelligeretur etiam potentia actiuam, quam habet verum compositum respectu suarum actionum, non verò passiuam, quia passio, ut probabo *Contr. 2. de Anim.* non est de conceptu actionis vitalis, seu vitæ in actu secundo: ac proinde neque potentia ad illam, ad vitam in actu primo pertinebit, neque viuēs ut viuens formaliter in actu primo importabit potentiam recipiendi. Similiter viuens in actu primo dicit formaliter potentiam sibi viuendi actionem vitalem, quia de ratione vitæ in actu secundo, est immanencia per vniõnem ad principium à quo fluit, ut probabo loco nuper citato, & ita illud in potentia, non solum virtutem actiuam, sed terminatiuam vniõis ad vitam in actu secundo, si nomine *corporis* totum compositum intelligatur, necessariò importabit.

Plotinus lib. 2. *Enn. 4.* definitionem hanc reprehendit, & Proclus in *Timæum cap. 5.* Aristotelem vellicat, quod non docuerit, quid sit anima, sed cuius, sit nempe corporis organici. Neque absque fundamento credo ab his Philosophis Aristotelem carpi, licet enim explicando cuiusnam subiecti anima sit forma, aliquo modo illius natura explicetur, quia per respectum tale subiectum videlicet organicum differat à reliquis formis, quæ non habent rationem animæ, tamen satis ignota manet adhuc animi natura, ex eo præcisè quod nouerimus exigere corpus organicum. Neque de illa particula *potentia vitam habentis* merito dici potest cum Proclo, potius esse explicationem corporis, quod habet animam, quam ipsius animæ, illa enim explicat naturam corporis, & non deseruit ad explicandam naturam ipsius animæ, idem enim est dicere corpus potentia vitam habens, ac dicere corpus, seu materia cuius potentia respicit vitam tanquam actum, quod optime explicat rationem illius corporis, seu illius potentie; quia dicere, anima est actus potentie cuius actus est vita, non est explicare actum per subiectum, sed explicare etiam subiectum per actum: est enim dicere anima est actus corporis organici, quod corpus organicum est potentia ad vitam; vbi duplex intercedit explicatio; vna animi per ordinem ad corpus organicum, alia corporis organici per ordinem ad animam nomine vitæ significatam. Quod si dicas explicationem corporis esse remotè explicationem animæ, quia ex cognitione corporis, ad quod dicit ordinem animæ, venimus in cognitione ipsius animæ, frustra hæc explicatio animæ remota traditur in ipsa definitione animæ: cum enim in illa definitum sit anima, anima debet esse immediatè explicata, & non alia entitas. Deinde ineptè explicatur anima per corpus, rursus explicandum per eandem rationem, per quā potuit explicari immediatè, sicuti

si quis rogaret: Quid est forma hominis? & responderet aliquis: Est actus materiæ, cuius forma est principium ratiocinandi tunc frustra per subiectum definiretur anima. Facilius enim diceretur: Anima est forma, quæ se habet, ut principium ratiocinandi. Vltimò contra hanc definitionem obijciò; illam explicare animam per subiectum explicandum per aliud difficilius explicatu ipsa anima, videlicet per vitam, cuius conceptus ignotior est conceptu animæ, ac proinde de primo ad vltimum explicatur anima per aliquid illa magis ignotum.

18 Propter hanc rationem (si Philosophi auctoritas non intercederet) existimo definitionem melius explicari de potentia ad vitam accidentalem, quam habet totum compositum, quod nomine corporis potest significari, ita ut hunc sensum haberet definitio: *Anima est actus constitutus compositi potentis elicere vitales actiones.* Quæ definitio optima est, & essentialis animæ, cui essentialis debet esse respectus ad subiectum, quem dicunt reliquæ formæ, cum quibus vniuoce conuenit, & virtus productiua formalis, vel radicalis actionum vitalium, per quam primò differt à reliquis formis non viuientium. Si tamen standum est definitioni traditæ à Philosopho, adhuc dici potest, particulam illam *potentiam vitam habentis*, non esse positā à Philosopho tanquam quid pertinet essentialiter ad definitionem, quod probo ex text. 7. Vbi sic animā definit: *Si autem aliquid commune in omni anima oportet dicere, erit utique primus actus corporis naturalis instrumentalis.* Unde non oportet, &c. Quibus verbis ait Aristot. esse animam in communi definire, & nunquam meminisse illius particulæ *potentiam vitam habentis*, sed tantum illam definire per ordinem ad corpus organicum, per quem rectè ab omnibus differt, nulla enim forma non viuientis, deorganizationem ratione sui exigit.

19 Definitionem traditam à Philosopho esse essentialem censent ferè omnes, quibus ego non omnino acquiesco: licet enim esse principium actionum vitalium sit de illius essentia, ut suprà dixi; ordo tamen ad deorganizationem rationem essentia metaphysicè non participat, non enim quidquid est identificatum cum forma est de illius essentia, ac proinde ex hoc capite non probatur ordinem ad deorganizationem esse essentialem animæ, & oppositum probare intendo, ex hoc quod deorganizatio non est intenta ab anima per se ipsam, sed per operationes ad quas deseruit. Ex quo infero exigentiam deorganizationis dimanare à potentiis exigentibus deorganizationem ad operandum, & ita esse prædicatum secundarium ortum ab alio primario, quod rationem habet essentia, quia est, quod prius in re concipitur, & aliorum radix, & per quod animæ ab aliis formis sufficienter distinguitur. Ex quibus infero hanc definitionem, *actus corporis physici & organici potentia vitam habentis*, inuoluere exigentiam ad deorganizationem, quæ est prædicatum ad essentiam metaphysicam animæ non spectans. Potentia autem ad vitam, si nomine corporis materia prima intelligatur potens informari vita substantiali, non se tenet ex parte animæ, neque est prædicatum illius, sed est potentia materiæ primæ, quæ ipsa potens est in formari animā, ac proinde in hac definitione tantum inuenio rationem illam communem actus primi respicientis materiam animæ essentialem, ac proinde totam hanc definitionem descriptiuam vocarem, sicuti descriptiuam dicimus hanc hominis definitionem *animal visibile*, licet prædicatum *animal* multis commune, sit homini essentialiale.

20 Alia definitio desumitur ex Arist. lib. 2. de anima cap. 2. vbi his verbis rationem animæ explicat text. 24. *Anima autem id est, quo viuimus, & sentimus, & mouemur, & intelligimus.* Quæ definitio si collectiue, & absolute intelligatur, tantum animæ rationali conuenire potest, nulla enim præter ipsam his omnibus fungitur actionibus, neque disunctiue intelligenda est, disunctio enim vitium est in definitione posita, neque rectè disungitur propriè loquendo hæc animi munera, nunquam enim in anima principium ratiocinandi disungitur à principio sentiendi, neque principium sentiendi à principio vegetandi, licet à contrario, principium vegetandi disungatur à principio sentiendi, & principium sentiendi à principio ratiocinandi, Aristoteles hanc definitionem per distributionem accommodam explicauit, scilicet; anima vegetatiua est, quo vegetamur, sensitua, quo sentimus, & vegetamur; rationalis, quo vegetamur, sentimus, & intelligimus. Sed neque hæc explicatio placet: iuxta illam enim non vna definitio

animæ in communi, sed triplex definitio triplicis animæ traderetur.

Intelligenda est definitio (si propria non me mens fessit) in hunc sensum. Anima est principium, quo exercentur hæ omnes actiones vbiuicque; exercentur quod verissimum est, & de conceptu animæ abstrahentis à vegetatiua, sensitua, & rationali optime verificatur. Verum enim est animam ut sic esse principium omnium actionum, quæ ex his omnibus annumeratis sunt in proprio subiecto. Quam explicationem olim in re longè grauioris momenti dedit August. lib. 4. contra Iulianum c. 8. & epist. 107. de Prædest. Sanctorum cap. 8. quem sequuti sunt Prosp. ad capita Gallorum Obiect. 4. Fulgent. de Incarn. & grat. cap. 3. illi propositioni vniuersali traditæ à S. Paulo 1. ad Thimoth. 2. *Deus vult omnes homines saluos fieri*, id est, Deus vult saluos fieri omnes homines, qui saluantur; & nullus sit saluus, nisi ex voluntate Dei. Quam explicationem explicat vulgari exemplo, quo dicimus, hic magister docet omnes pueros huius ciuitatis, id est, qui docentur, ab hoc magistro docentur; quod est dicere: nullus puer docetur ab alio, nisi ab hoc magistro. Sic in nostro casu anima est, id, quo facimus omnes operationes vegetandi, mouendi, sentiendi, & ratiocinandi, quas facimus, quod æquiualeat: nullā ex his operationibus facimus, quam non faciamus animā, tanquam principio effectiua illarum. Et iuxta hanc interpretationem optime quadrat hæc definitio animæ in communi, & cuiusque animæ vegetatiuæ, sensitivæ, & rationalis, quia de ratione cuiusque animæ est, esse principium omnium operationum, quæ ex his sunt, in composito quod informat.

Contra hanc definitionem obijciunt alij, Aristotelem posuisse particulam *quo viuimus*, quæ est generica respectu illorum, quæ postea adiunxit, ac proinde perperam omnes illas adiunxit, idem enim est dicere, anima est, id, quo viuimus, & sentimus, ac si dixerit, anima est, id, quo sentimus, & videmus; sicut enim visio est species sensationis, sic sensatio species vitæ in actu secundo. Non videt obiectum, est enim vulgaris loquendi modus, rationem genericam sumi ad significandam speciem imperfectiorem, sic animal vocamus indiuiduum speciei valde imperfectæ, ex his, quæ sub genere animalis continentur. Hoc loquendi modo vsus est Philosophus in hac definitione, cum enim ex omnibus speciebus vitalis actionis, vegetatio sit imperfectior, illam nomine generis appellauit, idemque iuxta hunc loquendi modum sonant hæc definitionis verba: actus, quo viuimus, &c. ac si diceretur: actus, quo vegetamur, sentimus, &c.

13 Circa particulam, *quo mouemur*, poterat esse questio, an per illam explicaretur specialis gradus viuientis, & ratio specialis animæ distinctæ à sensitua: cui questionem negatiue respondendum est, quia motus localis non est actio vitalis, ac proinde non illi correspondet specialis ratio vitæ, neque animæ, quæ essentialiter est vitæ; deinde quia etiam motus localis esset actio vitalis, anima locomotiva non distingueretur à sensitua, quia virtus locomotiva nunquam à virtute sensitua separatur; quodcunque enim animal habet virtutem mouendi se, quod patebit in quocunque animali, quod si pungatur, statim contrahit se, & ipso motu testimonium dat vitæ, quæ gaudet, quod si daretur aliquod animal quod nullam virtutem haberet se locomouendi, nullo modo possemus dignoscere, illud esse animal, & vitæ potius, quia non ex alio capite possumus cognoscere, an hoc corpus sit equus vel equi cadauer, nisi quia videmus hoc moueri & illud nullatenus posse motum aliquem exhibere.

14 Neque deorganizatio sufficiens est argumentum ad vitam sensitiuam inferendam, quia communis est omni viuienti, etiam non sensitui. Posuit Aristoteles in definitione animæ virtutem locomotiua, quia etiam si terminum vitalem non respiciat, illius tamè effectus vitam supponit, in viuentibus enim motus localis vitalibus actionibus dirigitur, tum etiam gradum sensitui, & locomotui assignauit, ne imperitum vulgus existimaret, aliqua animalia, quæ vix motum localem habent, & nunquam spatium adæquatum quod acquirunt relinquunt, sensitua non esse, non quia necessum esset gradum illum locomotui reperiunt, expressè enim docet Aristoteles animam adæquatè definiti per principium vegetandi, sentiendi, & ratiocinandi, sic enim ait eodem lib. 2. de anima cap. 2. text. 18. *Anima est horum quæ dicta sunt, principium, & his definita est vegetatio, sensitio, & cogitatio motu.* Quibus verbis aperte probatur, quod

quod dicebam suprà, videlicet verbum *sensitivum*, in definitione positum, importare virtutem vegetativam, & verbum *mouetur*, non esse necessariò in definitione ponendū.

Consent. Conimbricenses hanc definitionem datam esse propter causam finalem, quia operationes sunt fines animæ, sicut omnes effectus sui principij, unde dimanavit illud vulgare Axioma: *esse est propter operari*, quod tradit Aristoteles lib. 2. de Celo cap. 3. text. 17. & 2. Physic. cap. 7. Plurimi hunc dicendi modum reiciunt ex eo quod accidentia finis animæ esse nequeant; non enim ordinatur substantia ad accidentia, sed accidentia ad substantiam tanquam finem, in quem ordinantur, & cui intenduntur, quem respiciunt. Alij dicunt operationes animæ posse esse finem, quo anima consequitur finem cuius, respicientem ipsam animam tanquam finem cui, ita vt integer, & totalis finis consisteret ex animæ operatione, & subiecto: ex anima tanquam ex fine cui; & ex subiecto tanquam ex fine cuius; ex operatione tanquam ex fine quo. Homo enim natus est, vt cognoscat Deum, ipsumque sibi tanquam finem consequatur, mediâ operatione tanquam fine quo. Hæc omnia ad definitionem Philosophi explicandam, necessaria non sunt. Ideo illis omisiss. Affirmo hanc definitionem esse traditam per principium operationum indistinctum realiter ab anima, imò & formaliter, quia potentia ab anima adhuc formaliter non distinguuntur, quod si distinguerentur, intelligenda esset hæc definitio de principio radicali, quod est idem formaliter cum anima, quod principium explicatur relatè ad suos effectus, quia nõ possumus expressè potetiam aliquam cognoscere nisi cum ordine ad effectus expressam. Ex quo constat non esse datam per causam finalem, quia principium operationum identificatum formaliter cum operante non potest esse finis sui ipsius; nihil enim in se ipsum tanquam in finem ordinatur. Neque vulgaris loquendi modus, quo dicimus *esse est propter operari*, probat operationes esse finem sui principij, sæpe enim effectus seu euentus nomine *finis* significatur, vt indubitatè est apud omnes interpretes, etiam sacrarum literarum.

Circa distinctionem harum definitionum, dico maxime potè distinguì, si prior detur per ordinem ad materiam organicam, vt vitam in actu primo, quia hæc datur per ordinem ad totum compositum, & vitam in actu secundo, si verò prior definitio detur per ordinem ad compositum, quod forma constituit, & ad vitam accidentalem, cuius principium est effectuum, nullam poterimus in his definitionibus distinctionem reperire, quia hæc posterio per illud, quo *viuitur*, importat respectum ad compositum constitutum, & ad vitam accidentalem, quam potest compositum per animam sumptam per principium effectuum exercere. Aristotelem demonstrasse priorem definitionem per hanc posteriorem affirmant illius interpretes, quam demonstrationem ex his, quæ Aristoteles cap. 2. tradit, ita componunt: Principium, quo *viuitur*, sensitivum, & intelligimus, est actus primus corporis organici sed anima est principium, quo *viuitur*, sensitivum, & intelligimus: ergo est actus primus corporis organici. Ex Aristotelis interpretibus quidam sentiunt, hanc demonstrationem esse à posteriori, quia datur per effectus animæ. Alij tenent hanc demonstrationem esse à priori; hi sunt omnes Græci expositores, quos sequutus est Albertus Magnus, quorum sententia mihi magis placet, falsum enim est fundamentum oppositæ; posteriorem definitio non datur per effectus animæ, neque per suas operationes; sed per principium illarum. Deinde etiam si daretur per effectus, posset esse à priori non respectu ipsius animæ, quæ effectus posteriores sunt, sed respectu deorganizationis, quæ est propter actus futuros, & essentialiter ad illos ordinatur. Huius sententiæ fundamentum esse debet, prius esse in anima habere principium, & virtutem effectuum actionum, quam habere deorganizationem in materia, & illam exigere, ac proinde hæc deorganizatio demonstrata per principium operationis demonstratur per aliquod prius illa, & consequenter à priori.

PUNCTVM II.

Explicatur diuisio anima in vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem.

I Diuisio omnis dicitur membra diuidentia re, vel nomine opposita, & ita in hac diuisione oportet expli-

care an illius membra re, vel ratione opponantur, & quomodo hæc animæ inter se ordinantur, separabiles sint, & connexæ? Gradus animæ minùs perfectus separabilis est à perfectiori, quod docuit Aristoteles lib. 2. de anima cap. 1. & sæpe alibi, latissimè ipsa experientia compertum est. Primò vegetatiuam separari à sensitua, & rationali, in plantis apertum est, vt docuit Aristoteles lib. 1. de Plantis, & lib. 5. de Generat. animalium cap. 1. vbi ait: animalia dum dormiunt vitâ plantæ viuere, plantas verò non posse esse somni capaces, quia expergisci nequeunt, neque sentire: Et D. Augustinus sermone 27. de verbis Apollol. sic ait: *Nobis viuere cum arboribus & fructibus commune est. Nam vitis vituit cum viret; moritur cum arefcit, sed vitâ illa non habet sensum.* & lib. 2. de mor. Manich. irritat Manichæos, qui sensum & rationem arboribus tribuebant: & libro de Hæresibus cap. 46. & lib. de vera Religione cap. 55. sic habet: *Non sit nobis cultus illius vitæ, quæ dicuntur arbores viuere, quoniam nullus sensus in illa est.* & lib. de quantitate animæ cap. 33. contrariam sententiam vocat *impietatem rusticam, & errorem sacrilegum, magis ligneam opinionem, quàm sint ipse arbores, quibus patrocinium præstat.* Clamitat experientia, quæ videmus durissimis ictibus absque sensationis indicio arbores concuti. Neque sensuum organa habent aliqua apta ad sensationes exercendas, sed nimis terrestria, densa ac proinde ad omnem sensationem ineptissima sunt.

Neque minùs certum est, gradum sensitui existentem in brutis separari à gradu rationalis tantum in homine existenti. Duo includit hæc conclusio: primum, gradum ratiocinandi non esse in brutis: secundum, in ipsis existere gradum sentiendi. Vtrumque testatur Scriptura in Psal. 31. *Nolite fieri sicut equus, & mulus: in quibus non est intellectus.* & Isaia 1. *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* Et vtrumque in Philosophia ratum est. Hominem tantum præditum esse intellectu testatus est Philosophus 7. Politic. cap. 13. in homine, & brutis esse vitam sensitiuam passim docet in hoc 2. lib. de anima, & sæpe alibi. Experientia ipsa idem conuincit, in brutis enim, neque loquutionem, neque libertatem, aut alia signa intellectus inuenimus, sed omnia instinctu fieri cognoscimus, cum videmus omnia eiusdem speciei omnino eodem modo operari. Quod si in aliquibus nonnulla vmbra discursus appareat, non in ipsius rationis vsum, sed in altissimam sui auctoris providentiam, quæ omnibus creaturis naturam inclinationem, & propensionem indidit ad ipsarum conseruationem aptam, vilem, & necessariam, refundenda est.

Gradus animæ perfectiores ab imperfectioribus non separari, videlicet rationale à vegetatiuo, & sensitui; sensituium à vegetatiuo, experientia compertum est, vt docuit Aristoteles lib. 2. de anima cap. 2. text. 15. his verbis: *Sed hæc siquidem vis (de vegetatiua loquitur) à cæteris seorsum, separarique potest, cætera autem in ipsis mortalibus ab ista nequeunt separari.* & cap. 3. *Quibus mortalibus inest ratio, his sunt continuo, & cætera cuncta.* Neque limitatio illa animæ in corpore mortali adducta ab Aristotele propter intelligentias necessaria est, quia omnis anima est actus corporis mortalis, & licet in Angelo separaretur gradus rationalis, à gradu sensitui, Angelus est substantia simplex completa, nos autem loquimur de anima, quæ est substantia incompleta ordinata ad componendum totum cum corpore, cui vnitur, vt mediis corporis materialibus organis sensationes eliciat, ad intellectiones deferuentes, vt discuitur D. Thom. 1. parte, quæst. 51.

Ex his constat quod si anima diuidatur in animam vegetatiuam tantum, & in vegetatiuam & sensitiuam; & in vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem, membra diuidentia re opponi, & esse realiter distincta. Si autem anima diuidatur in vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem, ita vt quodlibet membrum diuidens tantum dicat gradum in illo contentum præcendentem ab omni alio, & à negatione illius, & imperfectiores contrahibiles per perfectiores, & per negationem aliorum perfectiorum v.g. gradum vegetatiuum contrahibilem per vegetatiuum plantæ, quod dicit negationem sensitui, & per vegetatiuum animalis, quod dicit gradum sensitui, indifferentem omnino ad veramque differentiam, tunc membra diuidentia non opponuntur re, quia possunt in eandem entitatem materialem coincidere; opponuntur tamen ratione, quia semper hi gradus formaliter distinguuntur per ordinem ad diuersas opera

operationes specie distinctas, separabiles in aliis subiectis, etiam si in aliquo separari nequeant, sicuti formaliter distinguuntur prædicatum animalis & rationalis per ordinem ad operationes, quæ separantur in equo, licet in homine separari nequeant.

Si hac ratione membra diuidentia sumantur, anima vegetatiua communis est omnibus animabus viuientium, & in omnibus eiusdem speciei; & anima sensitiua communis est brutis & homini, & in vtriusque eiusdem speciei. Secundum illam rationem præcisam vegetatiui, gradus animalis est eiusdem speciei in homine, & equo in statu præcisionis, in quo non dicit rationale, neque irrationale; sic gradus vegetandi in statu præcisionis, in quo non dicit vegetatiuum plantæ, aut animalis, rationem sensitiui, aut negationem eiusdem, omnino eiusdem rationis est in omnibus animabus; & gradus sensitiui in statu præcisionis, in quo non dicit sensitiuum bruti, vel hominis, neque gradum rationalis & negationem eiusdem, est omnino indifferens ut contrahatur ad brutum, & hominem per differentias constitutas illorum, per quas in statu contractionis differet specie, sicuti differunt homo & equus.

Gradum rationalem & sensitiuum contineri sub conceptu viuientis, & ita formam rationalem, & sensitiuam verè esse animam, nemo in dubium verteret. De vegetatiua posset esse nonnulla dubitatio an propriè rationem animæ participaret, sed iuxta Theologiam certum est, & iuxta Philosophiam certius formam vegetatiuam esse viuientem, & gradum vegetatiuum viuens constituere, ita formam vegetatiuam verè inducere rationem animæ, negare nefas est. Vegetatiua esse viuientia constat ex Paulo 1. Corinth. cap. 15. Tu quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur. Vbi plantæ productionem Paulus viuificationem appellat. Et quod per viuificationem producit, viuere dicitur. Quod expendit August. lib. 1. de Ciuit. cap. 20. his verbis: Hoc genus rerum (id est plantarum) quamuis non sentiat, viuunt, ac per hoc potest mori, & occidi. Et annexit illud Psalm. 77. Et occidit in grandine vinas eorum. Et D. Dionysius cap. 6. de diuinis nominibus sic scribit: Ex ipsa (hoc est, de Dei vita) & animantes & omnes plantæ iuxta extremam vitam harmoniam, ut viuunt acceperunt. Iterum in fine eiusdem capituli: Ex ipsa viuificantur & conseruentur, & animantes cunctæ atque arbores, & siue spirituales dixeris, siue rationales, siue sensitiuas, siue vegetatiuas, ex ipsa viuunt. Probatur eadem conclusio ratione desumpta ex operatione nutritiua, quæ conuenit animæ vegetatiuæ, quæ se nutrit per intus sumptionem, ad quam requiritur forma quedam distincta in specie à reliquis, quas dicimus esse formas inanimatarum, quam vitam in actu primo, & animam vocamus, quia est principium vegetationis, quæ est vitalis actio & vita in actu secundo. Formam vegetatiuam esse principium vegetationis nullus negauit, principium autem actionis vitalis esse vitam, & animam dici, si in forma consistit, est etiam compertum omnibus. Restabat ut quis diceret: Vegetationem non esse vitalem actionem, qui tantum de vocis significatione contenderet, ut ex Clemente Alexandrino doctè notauit Suarez lib. 1. de anima cap. 4. num. 12. quia non negaret actionem vegetandi fieri per intus sumptionem, & exigere diuersa organa, ut à composito procederet, cui illius terminus vnitur, quæ sunt prædicata, quibus doctores Scholastici hoc nomen actionis vitalis accommodant. Vocis autem significatio sumenda est ex communi vsu, & prima impositione ab omnibus recepta. Ex dictis præcedenti numero constat nullum ex tribus membris diuidentibus esse extra rationem diuisi. Restat modò examinare an omnia adæquant diuisionem, ita ut nulla sit anima, quæ intra hæc tria membra animæ non contineatur. Præcipua ratio dubitandi sumitur ex definitione Aristotelis: Anima est, quo viuimus, mouemus, sentimus, & intelligimus. Ex qua definitione quatuor genera animarum annumerant communiter Scholastici, vegetatiuum, sensitiuum, locomotiuum, & intellectiuum; ergo tot animarum genera debent recenseris, non enim possunt multiplicari animata, sine animarum multiplicatione, præcipue cum hæc multiplicatio sit secundum gradus metaphysicos, qui totam suam multiplicatam à formis desumunt.

Vergeo Ideo gradus sensitiuus constituit animam diuersam ab illa, quam constituit vegetatiuum, quia gradus vegetatiuus separatur à sensitiuo in plantis, etiam si in animalibus sensitiuus non separatur à vegetatiuo, sic similiter sensitiuus gradus separatur à locomotiuo, etiam si locomoti-

uus gradus à sensitiuo non separatur: ergo distinctus gradus animæ, & distinctam animam in specie constituit gradus locomotiuus ab illa, quam constituit gradus vegetatiuus.

Patres Conimbricenses lib. 2. de anima capite 3. quæst. 2. art. 2. in fine, respondent animata esse quatuor, si illorum differentia sumatur à vita accidentali illorum; quod si à vita substantiali desumatur, tantum reperiri tria animarum genera, videlicet vegetatiuum, sensitiuum & rationale. Dissiplet Conimbricensium solutio, quia vita substantialis distinguitur per ordinem ad vitam accidentalem, & ex eo quod diuersam vitam accidentalem reperimus in hoc viuienti, seu in hac anima, inferimus vitam substantialem esse diuersam, neque aliud nobis suppetit caput, ex quo possumus diuersitatem vitæ substantialis inferre nisi ex diuersitate vitæ accidentalis, semper enim ex diuersis operationibus specie distinctis, principia distinguere colligimus.

Respondeo potentiam sensitiuam nunquam separari à locomotiuam, neque dari aliquod animal, quod se mouere localiter non possit, nam quodcumque habens facultatem internam & externam sentiendi, iuxta suam capacitatem virtutem habet se mouendi: si facultas sentiendi perfecta sit, virtus locomotiuam perfecta erit, & poterit viuens se perfectè mouere gradiendo, vel volando, saltando, aut natando, vel reptando: si autem virtus sensitiua imperfecta sit, saltem poterit viuens se comprimere, & dilatare, & ita locum mutare saltem inadæquatam, & tardè, adæquatam, quia omne viuens sensitiuum dolorem sentit, & per motum localem signa doloris, & sensationis exprimit, quod si hæc signa non exhiberet, non possemus illud esse sensitiuum cognoscere, de organizatio enim sensitiuum virtutem non arguit, quia est communis etiam non sensitiuis, neque effectum alium habet sensatio, ex quo à posteriori illam cognoscere possumus. Posita inseparatione etiam non mutua inter virtutem sensitiuam, & locomotiuam facile est defendere virtutem locomotiuam, etiam radicalem non constituit diuersum gradum animati, neque animæ virtute sensitiua, quia animæ & animata non multiplicatur per potentias inseparabiles, sed per illas, quæ in aliquo saltem separantur. Hæc ratione potentia sensitiua, & appetitiua diuersam animam, aut diuersum viuens non constituunt, quia nunquam inter se separantur. Iuxta hanc doctrinam notum tibi erit diuisionem factam à Platone in Timeo, animæ, in concupiscibilem, irascibilem, & rationalem, secundum duo priora membra diuidentia non dicere animas inter se diuersas, sed vnica tantum potentiam, videlicet appetitiuam, quæ ratione aliquotum actum, quos potest elicere, concupiscibilis dicitur, & ratione aliorum irascibilis, quæ potentia reperitur in anima sensitiua, & rationali: in hac spiritualis, & materialis in alia. Ex principio supradicto, est vulgò tria tantum genera animarum & quatuor animarum recensentur; quinque potentiarum genera communia viuentibus connumerantur. Videlicet vegetatiua, sensitiua, locomotiuam, cognoscitiua, & volitiva.

Patet etiam virtutem locomotiuam non posse constituit diuersum gradum viuientis, aut animæ siue ab illa separari possit sensitiua, siue non possit, quia non est potentia respiciens terminum vitalem, motus enim localis non est vitalis actio secundum se, licet motus formaliter ut progressius vitam dicat, quæ supponitur ad motum localem secundum se, ratione cuius progressius appellatur, quia motus progressius solum differt à non progressiuo, ex eo quod procedat à vita, hæc tamen vita, quam supponit, in brutis est vita sensitiua, & in homine rationalis quando motus imperatur ab actu voluntatis, quando verò tantum imperatur à phantasmatis, ut in somnis contingit talis motus supponit vitam sensitiuam, & ita nunquam potest specialem vitam constituit, quia secundum se nullam dicit, & illa, quam supponit semper est sensitiua, vel rationalis.

Ad auctoritatem Philosophi definientis vitam per gradus sentiendi, & se locomouendi tanquam per gradus distinctos, dicendum est hos gradus assignatos fuisse ab Aristotele ad aliquam differentiam constituendam inter animalia quæ habent virtutem locomotiuam perfectam, & alia, quæ hanc virtutem imperfectam habent, quæ adeo tardè, & ita per exiguum spatium mouentur, ut vix moueri dicantur, & possint dici impotentia ad talem motum; sicuti quælibet virtus, seu potentia debilis impotentia ab Aristotele

Aristotele appellatur, quæ differentia sufficiens non est ad assignandum gradum speciem viuens in sensu essentialiter distinctum. Neque nouum est in Philosopho inter differentias essentielles plures accidentales reperiri permixtas.

12 Alia difficultas desumitur ex aliquibus viuentibus, quæ tantum habent virtutem tactuam separatam ab aliis potentis sensum externorum, sicuti illam Talpa habere dicitur. Pro quibus statuendus est gradus diuersus viuens, sicuti statuitur pro vegetatiuis & sensitiuis; sicut enim separatio virtutis vegetatiuæ à virtute sensitiua fundamentum præbet, vt diuersus gradus constituatur respondens potentia vegetatiuæ, ita separatio virtutis tactuæ à virtute visui, fundamentum exhibet, vt constituatur gradus diuersus correspondens potentia tactuæ à gradu respondente virtuti visui, auditui, &c.

13 Propter hanc rationem Philosophus lib. 2. de anima c. 2. distinguit gradum medium viuentium inter plantas & animalia perfecta quem *planti-animal* appellat, quia non est tantum planta, cum participet sensum tactus, neque simpliciter animal, cum non habeat quicquam sensus, neque gradum sensui simpliciter participet. Paradoxum est talem gradum medium constituere absque vlla ratione, aut necessitate, & à mente Aristotelis & omnium Philosophorum alienum. Aliter melius respondetur: Gradum sensui tantum dicere viuens sentiens sensu interno, & aliquo externo sensu, & ita communem esse Talpæ vnicum sensum externum habenti, & aliis animalibus quinque sensibus gaudentibus. Hac ratione diuisio animæ in vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem optimè est adæquata, licet non sit in species atomas, quia anima sensitiua rursus est diuisibilis in sensitiuam vnico tantum sensu, & in sensitiuam pluribus sensibus; & sensitiua pluribus sensibus, in sensitiuam equi, & leonis, &c. Idem dico de diuisione animati in vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem. Ex quo inferes de ratione animalis vt sic, non esse habere quinque sensus, sed tantum internum & externum, vel vnum, aut plures, quia anima tantum dicit formaliter viuens sensitiuum; sensitiuum autem non dicit plures sensus externos, quia viuens, quod potest sentire vno sensu externo, & alio interno, absolute, & simpliciter dicitur potens sentire, seu sensitiuum.

14 Constat ex his diuisionem animæ in vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem esse adæquatam, & iustam. Restat modo explicare an sit generis in species, vel analogi in analogata. Auerroës lib. 3. de anima text. 7. Themistius, & Simplicius text. 1. & 7. affirmant hanc diuisionem esse analogi in analogata, ex eo quod animus rationalis rationem animæ inæqualiter & minus perfectè participet, quam reliquæ animæ, etsi secundum suam entitatem perfectior. Si fundamentum horum Philosophorum sit animam rationalem propriè non esse formam, illorū sententia errorem in se continet. Si admittant animam rationalem esse verè formam, omnino est probabilis ex pui Philosophiæ principijs, quia anima rationalis est principium actionum propriissimè vitalium, siquidem est principium actionis vegetatiuæ, & sensitiuæ, in quibus conuenit cum aliis animis, quas propriè tales dici admittit hi Philosophi. Deinde est principium intellectus, & volitionis quæ propriissimè vitales sunt: ergo si anima rationalis habet veram & propriam rationem formæ, vt Catholicè sentiendum est, & ratione probatur, propriissimam rationem animæ continet. Demum definitio animæ optimè & propriissimè quadrat animæ rationali: ergo propriissimè rationem animæ retinet. Expende vtramque animæ definitionem, & argumento alio non indigebis.

15 Rationes horum Philosophorum nullius sunt momēti. Arguebant: Animus rationalis non communicat materiæ totum suum esse, quia ita se comunicat, vt in suo esse subsistat: ergo non est vera forma. Resp. animam rationalem se totam communicare materiæ, etiam si propriam subsistentiam habeat, quia secundum se totam materiæ vnitur, & formam materiæ communicari nihil aliud est, quàm vniri materiæ, cum qua totum componit, vt dicebat contra Caietanum punct. 3. §. 3. n. 25. Secundò arguit ex modo producendi, quia anima diuerso modo producit, ac reliquæ formæ. Resp. animam produci per creationem, & reliquas formas per generationem; hoc tamen ad rationem formæ neque animæ in communi nihil referre, quia de ratione formæ est vniri subiecto, non verò ab illo dependere. Ter-

tiò arguit: anima rationalis operatur independentè à subiecto: ergo non est verè forma. Resp. distinguendo antecedens, operatur independentè à subiecto in statu separationis, concedo: in statu vnionis, nego. Deinde nego consequentiam, quia non est de ratione formæ operari dependentè à subiecto in quocunque statu, sed operari dependentè ab illo in statu vnionis, hoc est, dum est subiecto vnita.

Tandem lib. 2. de anima, quæst. 3. Alexand. lib. de sensu, & sensibili, in principio. Albert. 2. de anima cap. 5. docent hanc diuisionem esse analogam ex fundamento opposito, videlicet quod tantum anima rationalis est verè, & propriè anima, quia ipsa tantum viuunt, quod probant ex eo quod illa, & non alia operetur propter finem. Hoc fundamentum nullius est ponderis, & multa inuoluit gratis, & falsò dicta, vnum est reliquis animas non viuere, aliud est de ratione vitæ esse operari propter finem, quia etiam de ratione vitæ sit viuens se posse mouere, quod examinabo Contr. 2. Punct. 1. hoc non est intelligendum de motu morali mediâ cognitione, & bonitate mouente per modum finis, sed sufficit viuens se ipsum mouere motu physico, sicuti mouentur plantæ per nutritionem & bruta per sensationes externas, & per internas, quæ aliquo modo conueniunt obiecti respiciunt, etsi non libere per propensionem naturæ dependentè à cognitione obiectum representante.

Dupliciter potest sumi hæc diuisio: primò si gradus vegetandi communis omnibus animis se teneat ex parte diuisi, & anima vegetatiua diuidatur in vegetatiuam tantum, & in vegetatiuam & sensitiuam tantum, & in vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem simul. Secundo modo potest sumi diuisio, ita vt gradus vegetatiui non se teneat ex parte diuisi, sed sit vnum ex membris diuidentibus. & diuidatur ratio animæ metaphysicè constituta per formam viuens, seu corporis organici, in animam vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem, ita vt membra diuidentia dicant rationem posituam in ordine ad suos actus & abstrahant à negatione aliorum prædicatorum, quæ se habent vt partes, vel (vt sic loquar) commembra diuidentia huius diuisi. Priori modo diuisione sumpta, membra diuidentia re opponuntur, & dicunt formam plantæ, bruti, atque hominis. Posteriori modo sumpta, opponuntur ratione, & omnia membra diuidentia in animam rationalem coincidunt.

Affirmo hanc diuisionem esse generis in species, quoquo modo sumatur. Fauet huic opinioni communis consensus Philosophorum, qui hanc diuisionem absque vlla distinctione generis in species appellat: & Angelicus Doctor 2. contra gentes cap. 60. vbi ex professo illam esse vniuocam probat, & hanc esse Aristotelis mentem probat Ferrara ibidem. Diuisionem priori modo sumptam esse vniuocam & generis in species, sic probo. Membra diuidentia sunt species animæ & essentialiter oppositæ, & essentialiter participant rationem communem animæ: ergo illa diuisio est generis in species: priorem partem antecedentis, solus negare poterit, qui dicat, plantam, & brutum specie non distingui, & brutum & hominem esse eiusdem specie: posteriori ostendo ex definitione animæ quæ essentialiter cuiuslibet ex his speciebus conuenit, omnes enim sunt actus corporis physici, & organici, & omnes sunt principium operationem vitalium.

Diuisionem posteriori modo sumptam esse generis in species, licet non realiter, ratione tamen oppositas: probo. Gradus vegetandi, sentiendi, & ratiocinandi sumpti præcisè, & distinctè formaliter distinctione præcisâ, conueniunt formaliter in hoc quod est esse principium actionū vitalium: differunt essentialiter in rationalis principij, per quam quilibet illorū contrahitur per ordinem ad actus specie diuersos, ad quos dicunt ordinē: ergo illa diuisio est totius potentialis quod contrahitur per partes potestatiuas, in quibus essentialiter includitur contractum per differentias essentialiter oppositas: ergo est diuisio generis in species. Neque impedit hos gradus coincidere in eandem animam, videlicet rationalem vniuocatione diuisi, quia gradus realiter identificati possunt formaliter specie differre, & conuenire in aliquo prædicato communi, sicuti potentia volitiua & intellectiua etiam in opinione, quæ illas ab anima non distinguit formaliter inter se differunt, per ordinem ad actus essentialiter differentes, & conueniunt essentialiter in ratione potentia vitalis, realiterque in eadem animam coincidunt. Hæc dixerim propter Patrem Soar, qui lib. 1. de anima, c. 2. n. 19. ob hanc coincidentiam graduum

graduum in eandem physicam entitatem existimauit diuisionem hanc posteriori modo acceptam non posse esse vniuocam.

PUNCTVM III.

De anima rationali, & eius informatione.

§. I.

Vary errores referuntur.

- 1 **P**lato, quàmplurésque alij antiqui Philosophi censuere animam non esse formam informantem, sed assistentem, & quasi aurigam corporis. Ita Aristoteles loquitur de anima Cæli, lib. 2. de Cælo c. 12. & 2. vbi animam appellat intelligentiam, licet non informantem, sed assistentem.
- 2 Sensere alij animam non esse substantiam sed accidens, vel accidentium harmoniam, seu temperamentum. Ita refert ex Epicuro, & aliis Plutarchus lib. 4. de Placitis c. 3. in hunc errorem lapsus est Galenus lib. de locis affectis cap. 6. teste D. Thoma in quæstione, disp. de anima artic. 1. lib. 2. contra gentes cap. 63. Galenum sequuti sunt peritissimi Medici quem errorem antiqui Hæretici docuere, videlicet Carpocrates, Epiphanius, Prodicus, & Caiani, atque Antiractæ, vt refert Theodoretus in lib. de diuinis decretis. Nonobstante interpretatione D. Thomæ, sentiunt alij Galenum in hac re varium fuisse, & nihil constitutum habuisse, quod sequeretur in hac re, vt ipse indicat lib. de natura facultatis, substantiæ & lib. 3. de vñu partium, vbi ait se ignorare, quid sit anima.
- 3 Zeno animam rationalem igneam esse existimauit, Anaximander, Anaximenes, & Anaxagoras aerem esse dixere, in quem errorem propendit Varro, qui hæc scripsit, referente Lactantio Firmiano lib. de opificio Dei: *Anima est aer conceptus in ore, de se uersus in pulmone, tepefactus in corde, diffusus in corpus.*
- 4 Corporeum finxere nostrum animum Cleanthes, Chrysippus, quàmplurésque Stoicæ familiæ alumni. In eundem errorem incidit Apollinaris Alexandrinus, vt refertur Historiæ tripartitæ cap. 34. & Tertullianus lib. de anima, de carne Christi, teste D. Augustino epist. 157. & lib. de Hæresibus in 86. vbi declarat de propria corporeitate esse loquutum, & illum impugnatur lib. 1. Gen. ad liter. cap. 24. licet eundem benignè interpretes dicentem Deum esse corporeum, quasi diceret Deum esse substantiam verè substantiæ & non fictam.
- 5 Refert Irenæus lib. 1. aduersus Hæreses cap. 24. Corporeitatem, & Theodoretus in lib. de diuin. decret. Cerdonem, & D. Augustinus lib. de Hæresibus cap. 46. & 70. Gnosticos, Manichæos, & Priscillianistas, qui in eam amentiam incidere, vt assererent animum rationalem esse particulam diuinæ mentis, ex Dei substantia procreatum. Quod videtur sensisse Philo Iudæus in lib. inscripto quoddam deterius potiori insidetur.
- 6 Fuit Origenis error 1. Periarcho c. 5. & 8. & lib. 2. cap. 8. qui docuit nostrum animum ab Angelis non distingui.
- 7 Luciferani, vt refertur in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, errarunt existimantes animos ex semine propagari.
- 8 Seleucius, & Hermias vt constat ex lib. Historiæ tripartitæ cap. 11. sensere animas rationales non à Deo, sed ab Angelis creari.
- 9 Errauit similiter Origenes, teste Epiphanius epist. ad Ioannem Hierosolymitanum Episcopum, qui asseruit animas ante infusionem in corpus peccasse, in poenamque peccati, in corpora tanquam in carceres fuisse detrusas; quem errorem secutus est Priscillianus.
- 10 Alius fuit error asserentium dari in omnibus hominibus vnam animam, & intellectum, qui ipsis assistat, vt Solis lumen huic vniuerso, in hoc fuisse Aristotelem affirmat Theophrastus, Simplicius, & Auerroës, qui eum sequutus est, & variis argumentis defendit.
- 11 Empedocles, Pythagoras, & Plato fabulosam quandam transmigrationem inducere, asserentes animas hominum in aliena corpora demigrare. Dissentiunt auctores, an Plato posuerit transmigrationem animarum in corpora beluina, an in humana dumtaxat. Legantur Conimbricenses lib. 2. de anima cap. 1. quæst. 7. art. 1. Fuit etiam error circa animæ immortalitatem, de quo dicam Controu. vltima de anima separata.

§. II.

Dogmata Catholica contra præcedentes errores.

Primus error Platonis damnatus fuit in Concilio Vienne[n]si sub Clemente V. in Clementina vnica, §. 1. de summa Trinit. *Doctrinam seu positionem (verba sunt ex Clementina) temere asserentem, aut verentem in dubium, quod substantia animæ rationalis, seu intellectiua, vere ac per se humani corporis non sit forma, vt erroneam, & versatili catholica inimicam prædictæ approbante Concilio reprobamus.* Et infra dicitur, vt quisquis deinceps asserere, defendere, aut tentare pernaciter præsumperit quod anima rationalis non sit forma corporis per se, & essentialiter, tanquam hæreticus sit censendus. Quam definitionem amplectitur Concilium Lateranense sub Leone X. sess. 8. quæ tacite declarat doctrinam Concilij Lateranensis sub Innocentio III. in cap. Firmiter de summa Trinitate, dicentis Deum ab æterno vtramque creaturam condidisse, spiritualem, & corpoream, deinde hominem spiritum, & corpore constitutum. Tradidit eandem veritatem Athanasius in symbolo illis verbis: *Sicut anima rationalis & caro vnus est homo*, &c. Tradunt eandem veritatem omnes sancti Patres præcipue in illud Genesios, *infirmum in faciem eius spiraculum vite, & factus est homo in animam viuentem.* Gregorius lib. 14. Moralium cap. 7. Irenæus lib. 3. cap. 7. Gregorius Nyssenus orat. 13. de resurrectione Ter-tull. de resurrectione carnis, cap. 34. Cyprianus serm. de resurrectione Christi. Ambros. in lib. de bono mortis cap. 9. & 10.

Eadem veritas ratione probatur in primis, quia nulla est repugnantia in eo quod detur compositum ex subiecto materiali, & forma spirituali; ergo nullum est positum fundamentum vt negetur tale compositum. Deinde de facto dari, & hoc esse hominem probatur ex operationibus intellectus, & voluntatis, quæ sunt ab eodem principio in ipso homine, à quo sunt reliquæ vitales actiones materiales, veluti nutritio, & sensationes; sed nutritio, & sensatio sunt à forma; ergo & intellectus, & volitio sunt ab anima rationali; ergo anima rationalis est vera forma. Huic rationi non acquiescit Arriaga disp. 1. sect. 2. qui censet non efficaciter convincere vñionem animæ, quia sufficere posset assistentia localis, vt has operationes exerceret in materia. Contrarij hæc assistentia sufficeret, sequeretur penetratis duobus hominibus posse vñus animum in materia alicuius hominis sensationes elicere. Imò sine vlla penetratione quando duæ manus distinctorum hominum tanguntur, possent animus assitens materię huius hominis, sensationem producere in manu alterius, quia ad productionem actuum non requiritur penetratio, sed sufficit approxinatio: ergo si ad sensationes elicendas non requiritur informatio, ex nullo capite requiretur penetratio, sed approxinatio sufficeret.

Tandem probatur nostra conclusio à paritate omnium formarum, & ex expulsiōe formæ præexistentis ad aduentum rationalis, quæ non intercederet, si rationalis non informaret, quia forma non informans, sed assitens, non opponitur cum informante. Neque indiuisibilitas, substantia, aut separabilitas animæ rationalis informationem impediunt, quia plures censent materiales formas perfectiorum animalium indiuisibiles esse, & rectè potest forma indiuisibilis diuisibili subiecto vñiri. Substantia eodem modo compositibilis est cum vñione ad subiectum, quia tantum infert incommunicabilitatem alteri vt suppositio, non vt subiecto. Separabilitas ad rem non est, quid enim refert animam esse vñitam intercedente vñione, & illa deficiente in tempore diuerso animam non esse vñitam sed separatam?

Secundum errorem Galeni & aliorum asserentium animam non esse substantiam sed accidens, reiecit tota Philosophia, quæ formas substantiales constituit in compositis, quæ in homine potiori ratione adtribuenda est propter mirabiliores ipsius operationes, & propter testimonia Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, quæ probant animam esse substantiam. Expende supradicta contra primum errorem, & plura alia contra sequentes asserenda, & si placeat lege Diuum Gregorium Nyssenum disp. de anima, de hac re luculenter dissentientem.

Tertio & quarto errori dicenti animam esse igneam, & aerem, corpoream, refragatur plura Scripturæ, & Patrum testimonia. Plura possunt adduci quibus anima in Scriptura spiritus

spiritus vocatur, Lucæ 1. Magnificat anima mea Dominum: & exultavit spiritus meus. Matthæi 25. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Et cap. 27. Emisit spiritum, id est animam. Et Pauli 1. ad Corinth. 2. Quis enim hominum scit que sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Ita & que Dei sunt nemo cognoscit, nisi spiritus Dei. Aliaque innumera testimonia pro eadem veritate possunt adduci. Eadem veritas definita est in Concilio Lateran. sub Innocent. III. in cap. Firmiter de summa Trinit. ubi de Deo sic habet: *Sua omnipotentis virtute ab æterno utramque de nihilo condidit creaturam spirituales & corporeas, Angelicam videlicet & mundanam, & deinde humanam quasi communem, ex spiritu & corpore constitutam.* Eandem veritatem docuit Concilium Lateranense sub Leone X. sess. 8. dicens non minus certum esse animam rationalem esse incorpoream, quam esse immortalem, & à corpore independentem, animam autem rationalem esse immortalem sanctum est fide, quod ostendat Controversi. ult. Suffragantur eidem veritati omnes Patres, Ambrosius veritatem hanc probat ex primo Genesios, *Inspiravit in faciem eius*, &c. Dionysius capite quarto de Divinis Nominibus, Damascenus libro secundo de fide Orthodoxa, capite duodecimo, & libro tertio, capite decimo sexto. Gregorius Magnus libro quarto, Dialog. capite quinto, & libro secundo Moral. capite secundo, Nazianz. Apolog. cap. 2.

17 Non me later nomen Spiritus non semper in Scriptura ad rem spirituales explanandam desumi, sæpe enim pro rebus materialibus desumitur. Ecclesiastic. capite tertio, numero vigesimo primo: *Quis novit si spiritus filiorum Adam ascenderit sursum, & spiritus iumentorum descendat deorsum?* Desumpti tamen ad conclusionem probandam testimonia Scripturæ, quæ Patres explanant de re spirituali, materiali opposita. Ratione Theologica probatur conclusio ex visione Dei cuius rationalis animus est capax, quam capacitate habere nequit materialis forma, ut prima Parte probant Theologi. Ratione naturali probatur ex cognitione rerum spiritualium, ex discursu, quo anima vnum infert ex alio, ex actibus reflexis, quibus anima seipsam, & proprios ipsius actus dignoscit. Ex perfectissima libertate, quæ gaudet voluntas, ex voluptate, quam capit animus in ipsis rebus spiritualibus excogitandis, quas omnes rationes doctæ, & eruditæ expendit Pater Suarius lib. 1. de anima, cap. 3. ex Aristotele, D. Thoma, & aliis Patribus.

18 Quintus error Priscillianistarum asserentium animas esse particulas Divinæ mentis, damnatus fuit in Concilio Braccaren. primo, capite quinto, & à Leone Primo. Epistola nonagesima prima, capite primo: & contra illam arguit Magnus Ecclesiæ Pater Augustinus in libro de Origine anime, capite secundo, & in illius sectatores arguit: Si anima esset Divinæ mentis particula, vel Deus mutationi subiceretur, quod ab illius infinita natura alienum est, vel anima esset incapax mutationis, atque ita neque deficeret in deterius, neque in melius proficeret, nec aliquid in semetipsa, quod prius non habuit inciperet habere, vel quod prius habebat desineret. Eandem amentiam irridet Chrysostomus homilia secunda in caput secundum Genesios, Athanasius libro de questionibus, capite de Anima, cuius confutationem adducit Divus Thomas prima parte, questione nonagesima, articulo primo; & libro secundo contra Gentes, capite octogesimo quinto. Eundem errorem confutant testimonia omnia, quibus dicitur Deum condidisse animam, quæ si aliquid esset ad Deum intrinsecè pertinens, cum ipse sit increatus, & æternus, non posset à Deo in tempore produci.

19 Sextum errorem Origenis, asserentis animam rationalem ab Angelis specie non distingui, reicit Divus Thomas 1. parte, questione septuagesima quinta, articulo septimo, & in disputatis questionibus de anima, articulo septimo ad primum, & secundo contra Gentes, capite nonagesimo quarto, & facillè convincitur ex diverso modo operandi, quem habet anima, ab Angelo; Angelus enim cognoscit per simplicem intuitum, ut docet Divus Dionysius capite septimo de Divinis nominibus, anima verò cognoscit per apprehensionem, compositionem, & discursum cognitionemque ex objectis, & sensationibus materialibus deductam.

20 Septimum errorem Luciferianorum asserentium animas ex semine propagari damnant D. Augustinus libro de hæres. cap. 86. & D. Thomas 2. contra Gentes, cap. 86. Idemque 1. part. q. 118. art. 2. non solum errorem, sed hæresim

vocant. Opposita veritas habetur in Decretis 32. q. 2. cap. Moyses, & traditur communiter à Patribus.

Octavum errorem Seleuci, & aliorum asserentium animas rationales creati, non à Deo, sed ab Angelo damnant Ecclesiæ Patres, qui tanquam veritatem Catholicam tradunt animas rationales à Deo creati: Hieronymus in Epist. 17. ad Damasum, quæ scribitur *Explanatio symboli*, & in Apologia ad Pammachium adversus Hæreses Ioannis Hierosolymitani, ubi ait, Ecclesiasticam esse sententiam Deum novas quotidie animas conceptis iam corporibus infundere. Ambrosius lib. de Noë, & arcæ. Chrysostomus homil. 23. in varia loca Matthæi, Bernardus sermone 27. in Cantica Eandem veritatem statuit Philosophia, iuxta quam nulla creatura potest aliam creare.

Nonum Origenis errorem asserentis animam rationalem prius tempore creati quam corpori uniatur damnat Leo I. epist. 3. contra errores Priscillianistarum, & Concilium Constantinopolitanum V. act. 11. in Epist. Sophronij, & ratione Philosophica reicitur, quia animus rationalis est forma corporis, ut supra probatum est: ergo petit produci cum vniione ad corpus; ergo non potest naturaliter produci prius tempore quam corpus.

Decimum errorem Auerrois asserentis omnibus hominibus vnicum esse intellectum asistentem damnat Concilium Lateranense sub Leone X. sess. 8. his verbis: *Damnatus, & reprobatus omnes asserentes animam intellectualem mortalem esse, & vicariam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes, tum illa non solum verè per se & essentialiter homini corporis forma existat, verum & immortalis, & pro corporum multitudine singulariter multiplicabilis, multiplicata, & multiplicanda sit.* Et ratione facillè reicitur, quia si omnibus hominibus esset idem intellectus, intellectiones omnes à communi omnium intellectu procederent, & ita omnes idem intelligerent, eodem modo, & in omni tempore.

Vndecimus error Pythagoræ in ænilem fabulam transiit, refellitur testimonio supra adducto, & testimoniis, quæ probant animam creati eodem tempore, quo materiæ uniatur, neque ratione specialiter impuganda illa, quæ communi hominum repugnant sensui.

§. III.

Concertatio inter Catholicos dirimitur.

25 **H**Abenda est iam questio cum Doctoribus Catholicis de modo, quo rationalis anima corpus informat, in qua re præcipue cum Caietano Doctores agunt quem referunt 1. p. quest. 76. art. 1. in respons. ad primum, dicentem animam rationalem informare corpus secundum gradum sentiendi; non secundum gradum ratiocinandi. Hæc sententia si secundum communem modum, quo refertur intelligenda sit, nullo probabili innititur fundamento, anima enim secundum eandem indivisibilem entitatem realem est sensitiva, & est rationalis, ergo non potest informare materiam secundum vnam rationem, & non secundum aliam. Probo consequentiam: animam informare materiam nihil aliud est quam illi esse unitam, sed non potest esse unita secundum vnam rationem & non secundum aliam: ergo. Maiorem omnes admittunt; minorem facillè probo: Vnio non potest præcindere inter prædicata realia realiter identificata: ergo si terminatur ad vnum prædicatum, terminatur ad aliud, quod est identificatum cum illo, aliàs terminaretur, & non terminaretur ad eandem entitatem, & posset similis præcisio in ista rei productione reperiri, & produci vnum prædicatum, & non aliud cum illo identificatum: non enim minus physicè attingitur terminus vniionis vniione, quam terminus actionis actione. Vide quæ scribo Controv. 4. punct. 8. ubi probo hanc præcisionem, adhuc in cognitione abstractiva, non posse reperiri respectu prædicatorum, quæ in re sunt idem, tantum abest, ut in vniione, vel aliis entitatibus non intentionalibus, sed physicis, reperitur, quod nullus prorsus Dialecticus admittet.

26 Dices: Anima rationalis non communicat materiæ prædicatum rationalis: ergo non illi vnitur ut talis. Istos, anima non communicat materiæ prædicatum formæ; neque prædicatum sensitivæ aut vegetativæ, ergo non vnitur quatenus forma, neque quatenus vegetativa, aut sensitiva. Resp. negando consequentiam, nulla enim forma communicat subiecto propriam naturam, neque prædicatum ali-quod, illud impingendo subiecto per identitatem, sed

tantum terminando secundum tale predicatum, & secundum se, totam unionem, attingendo materiam primam tanquam aliud unionis extremum: & hac ratione anima rationalis communicat subiecto predicatum rationalis, quia secundum predicatum rationalis terminat unionem respicientem materiam tanquam alium terminum.

27 Hurtad. disp. ... sect. 5. expl. hanc sententiam de replicatione facti per intellectum potentem apprehendere animum unitum physice secundum omnia sua predicata non uniti secundum predicatum rationalis materiam, quia non exercet operationes rationis in materia, quo sensu potest dici animum non uniti omnibus quatenus sensitivum, quia non elicit in omnibus sensationes: sed neque secundum hanc explicationem subsistere potest hac opinio, quia etiam si anima non exercet operationes in subiecto, potest intelligi illi unita secundum predicatum illud, quo potest esse tales operationes exercere, uniti enim secundum predicatum rationalis, non est exercere rationationem in subiecto, cui unitur, sed terminare unionem secundum virtutem intrinsecam, quam habet anima secundum identitatem ad tales operationes exercendas, sicuti uniti animum ut sensitivum non est sensationem exercere, sed uniti secundum virtutem sensitivam quod est idem ac virtutem illam esse unionis terminum, sicuti omnes affirmant animum rationalem ut sensitivum uniti omnibus, etiam si sensationes in omnibus non exercet. Sed esto non dicatur uniti animum secundum illam virtutem cuius actiones a materia non dependet; adhuc dici deberet animum ut rationalem, esse unitum quia exercet actus ratiocinandi in cerebro, a cuius dispositionibus dependet ad operationes rationales exercendas, quibus deficientibus, illas non potest exercere, ut patet in amentibus, & delirantibus. Quod autem non exercet has operationes in omnibus partibus corporis, nihil refert, quia etiam non exercet omnes operationes sentiendi in toto corpore, & nihilominus dicitur uniti, ut sensitiva, ergo dicitur, ut rationalis, unita, etiam si operationes ratiocinandi in toto corpore non exercet.

28 Rursus probo animum ut rationalem uniti. Animum rationalis constituit humanam naturam rationaliter viventem, ut omnes fatentur, & constat ex Concilio Constantiopolitano VI. in epist. Sophronij quae habetur actione 11. & actione 13. approbata est, & descripta ut fidei orthodoxae consona, in qua dicitur Verbum sumpsisse carnem humanam non solum quomocumque viventem, sed etiam rationalitatem, & intellectusualitatem: ergo anima ut rationalis unitur subiecto, & est forma compositi. Probo consequentiam: forma non potest constituere compositum tale secundum illam rationem, secundum quam non est forma illius, & non est unita materiae: ergo si communicat composito predicatum rationalis, secundum predicatum rationale est forma compositi, & est unita materiae. Antecedens probo. Eatenus forma se tota communicat quatenus est forma illius, & illud componit simul cum materia, ergo secundum rationem, secundum quam non est forma illius, neque est unita materiae, non se potest tota communicare: ergo si communicat quatenus rationalis, erit quatenus rationalis unita. Probat hac ratio adhuc per intellectum quomocumque praescindentem animam ut rationalem uniti, quia formalissime per illum homo intelligitur essentialiter rationalis, & non potest intelligi anima formaliter communicans hoc predicatum, si non intelligatur secundum illud unita: ergo debet intelligi unita secundum hoc predicatum, quia nequit anima se communicare secundum aliquod predicatum, secundum quod non sit formaliter unita, quia tota illius communicatio consistit in unionem media qua se tota communicat, & compositum tale constituit.

29 Aliter potest benignius explicari Caietanus: ipse enim loco citato asserit animam intellectivam secundum essentiam esse actum corporis; non autem secundum potentiam, quia anima intellectiva, in quantum potens est intelligere, non est perfectio corporis, cum intelligere in corpore non suscipiat. Et subdit postea animam intellectivam esse formam corporis. Ex quo auctores inferunt sensisse Caietanum, animam ut vegetativam, & sensitivam esse formam corporis & non secundum gradum ratiocinandi. Intelligi tamen possunt quae docet Caietanus de anima, ut proximè, & formaliter intellectiva per potentiam illi superadditam, secundum quam non est forma cor-

poris, quia intellectus superadditus non respicit materiam tanquam subiectum, cui immediatè sit vivens, sed tantum ipsam animam cui tantum immediatè unita, & ex qua educitur. Quod si potentia superaddita in antimon ponatur, adhuc posset nonnullam explicationem empi Caietani sententia, si illas formaliter distinguere mus ab ipsa anima in qua intellectus praescinderet gradum rationalis tanquam radicem potentiae intellectivae, etsi identificata cum ipsa anima, posset enim dici animam uniti secundum gradum rationalis, quem toti communicat, non tamen in ordine ad nostrum intellectum, secundum rationem formalem potentiae intellectivae; in sententia vero, quae adhuc formaliter potentiam intellectivam ab animo non distinguit, locum habere nequit modus loquendi Caietani, verum à Caietano exigendum non est, ut ipsae suas loquutiones aliorum sententis accommodet, satis illi erit si iuxta sua principia consequenter loquatur.

Tertio. Durius in hac re loquutus est Ferrara secundo contra Gentes cap. quinquagesimo octavo, dubitat. vi. §. Ad primum eorum dicendum, ubi haec habet: Anima intellectiva ut sic, non est actus corporis, sed tantum in quantum virtute continet vegetativam, & sensitivam, eo quod non volatur materia nisi propter vires sensitivas, quibus ad intelligendum indiget, & ideo si ponatur ut vegetativa, & sensitiva in homine distincta ut pote habens tantum quod intellectiva est, nullius corporis est actus. Quae verba missimè indigent interpretatione, ut in verum explicari possint, & cohaereant cum dogmate tradito in Clementina cap. Firmiter, de summa Trinit. ubi definitur animum rationalem verè esse hominis formam, legantur verba Clementinae supra adducta.

PUNCTUM IV.

Quae partes informantur animo?

Maior difficultas est de sanguine an informetur forma rationali in homine, & formam viventis in aliis animalibus. Negat Pater Suarez tom. 3. in 3. part. disp. 151. sect. 3. §. Altera pars. Vasquez tom. 1. in 3. part. disp. 36. ma. Conimbr. 1. de generatione c. 4. q. 14. & alij apud ipsos. Oppositam sententiam defendit Hurtad. disp. 1. sect. 6. pro qua refert D. Thomam, & Caietanum, & Ariag. disp. 1. sect. 9. subsect. 2. & alij apud istum. In hanc sententiam magis inclino, non propter rationem aliquam efficacem, quam pro illa inveniunt, existimo enim utramque facilem posse defendi, & neutram efficaciter probari, sed propter aliqua testimonia, quae adducit Hurtado ex Scriptura, & Tridentino. & propter auctoritatem Augustini adiuncti testimonio Levit. ubi dicitur cap. 17. Animam omnia carnis in sanguine esse. Super quod D. August. q. 57. in Levit. ait: *Aliquid vitale est in sanguine, quia per ipsum maxime in hac carne vivit: ipsum vitam corporis vocavit animam.* Hae Augustinus quibus vitam, quae est anima, sanguini tribuit. Deinde sanguinem hominis informari animo rationali, sic probo: sanguis est vera pars hominis: ergo informatur animo rationali, consequentia est legitima: nam cum sanguis non sit materia, neque forma, non potest esse pars essentialis: ergo si est pars debet esse pars integralis, sed omnis pars integralis informatur formam totius; ergo sanguis si est pars informatur forma hominis. Tota difficultas est in hac probatione antecedentis, videlicet, quod sanguis sit pars; hoc in primis suadet, quia homo sine sanguine esset mancus & mutilus: ergo sanguis est pars: consequentia probatur: si sanguis non esset pars, homo penitus exanguis haberet omnes partes integrales, & essentielles: ergo esset integer, ergo non mancus, neque mutilus: Antecedens, non aliam fortiorem probationem habet, quam ipsam apprehensionem; quis enim dicit hominem exanguem, integrum esse si autem quis id intrepidè affirmet, existimo non facile convincendum fore, quia quod aliqui adducunt in confirmationem huius antecedentis, videlicet hominem exanguem ineptum esse ad omnes actiones vivens, & sine illo conservari non posse, licet verum sit, non tamen efficaciter probat intentum, idem enim accideret homini non habenti aërem ad respirandum, & tamen aer non est pars corporis.

Idem antecedens videlicet sanguinem esse partem hominis efficacius probatur auctoritate Innocentij III. in quadam Extravagante, de celebrati one Missarum, ubi docet aquam

aquam, & sanguinem fluxisse de corpore Christi, ut ostenderet Christi corpus habuisse quatuor humores pertinentes ad veram hominis constitutionem: ergo si pertinent ad constitutionem hominis sunt partes illius: ergo & sanguis est pars hominis. Idem probatur ex Tridentina. sess. 13. cap. 3. Vbi postquam definit corpus ex vi verborum esse sub specie panis, & sanguinem sub specie vini ex vi eorundem, corpus tamen & sanguinem simul esse, tam sub specie panis, quam sub specie vini id fieri dicit; verba sunt Concilij: *Vi naturalis illius connexionis, & concomitantiae, quae partes (Christi) Domini, qui iam ex mortuis surrexit non amplius mortuus inter se copulantur.* Quibus verbis expressè docet Concilium sanguinem esse partem corporis Christi, cum asserat comitari corpus ex vi connexionis quae partes illius copulantur. Abstineo ab aliis rationibus, quibus hæc conclusio solet probari, existimo enim omnes alias esse inefficaces: talis est quæ desumitur ex vnione Verbi ad sanguinem, quia melior pars Theologorum asserit Verbum posse vniri creaturæ irrationali, ac proinde non rectè inferitur: Verbum fuit vnità sanguinis: ergo sanguis est informatus animo rationali.

4 Obiicies primò. Sanguis non est vnitus reliquis partibus corporis: ergo non est informatus animo rationali. Respondeo, negando antecedens, assero enim plures partes sanguinis esse vnitas iecori, ratione quarum totus sanguis inter se vnitus corpori viuienti vnitur.

5 Obiicies secundò. Sanguis est alimentum. Respondeo sanguinem non esse alimentum totius viuientis adæquatè sumpti, quia hoc includit sanguinem; sanguis autem alimentum est partium solidarum viuientium, neque est inconueniens partes quasdam viuientis ali ex alia parte, sanguine videlicet, quia cum sint partes heterogenæ, potest caro alterare compartem aliam, videlicet sanguinem, introducendo in materia illius proprium carnis temperamentum, quo præcisè sanguis, qui est fluidus, fiet solidus, & habebit rationem carnis, si partes heterogenæ sunt intrinsecè eiusdem rationis, vel si sunt diuersæ rationis cum diuerso temperamento introducet pars alia diuersæ rationis. Nec mirum est vnā partem formæ viuientis esse impossibilem cum alia diuersæ rationis, cum inter formas adæquatas eiusdem speciei, & eiusdem omnino rationis, hæc impossibilitas intercedat.

6 Obiicies tertio. Sanguis habet eandem formam quando est intra corpus, ac quando est extra illud, sed quando est extrā, non est animatum: ergo neque quando est intrā. Respondeo negando antecedens, sanguis enim extra corpus in ipso instanti quo separatur à sanguine intra corpus remanente amittit formam viuientis, cuius non leuis est coniectura amissionis coloris sanguinis, quæ eiusdem amissionem sequitur.

7 Obiicies quartò. Si sanguis est informatus formā hominis, ergo sanguis est corpus illius, ergo ex vi verborum est sub specie panis: consequens non potest admitti; ergo neque antecedens. Respondeo nomine *corporis* non intelligi quodcumque corpus metaphysicè sumptum, sed corpus solidum, quod à sanguine distinguitur, qui nomine *corporis* non significatur, præcipuè in consecratione panis, in qua ponitur corpus per modum cibi; sanguis autem non est per modum cibi, sed per modum potus.

8 Contra hunc dicendi modum, quem adducit Hurtado insurgit Neotericus quidam hac ratione. Mustum etiam si extra vnam non sit per modum cibi, sed per modum potus, dum tamen est intra vnam, est per modum cibi: ergo etiam sanguis dum est intra carnem erit per modum cibi. Hæc obiectio non est contra Hurtad. sed contra institutionem mysterij directè opponitur, in illo enim instituta est conuersio vini in sanguinem Christi per modum potus, & tamen non ponitur sanguis Christi extra carnem, sed intra carnem: ergo si sanguis intra carnem non est per modum potus non ponitur sanguis ex vi verborum sub speciebus vini per modum potus. Videant recentiores quid inferunt, & quam absurdè arguunt. Respondeo, magis fluidum esse sanguinem intra venas quam mustum intra vnam, & ita hoc non est per modum potus intra vnam. In hoc argumento amplius nõ est immorandū, ea enim quæ ex morali existimatione dependēt non sunt rationibus metaphysicis examinanda.

9 Addo tamen prædictum argumentum eandem vim habere, & eodem modo procedere in materia Eucharistica, etiam si dicatur sanguinem non viuere, ac proinde abs re hic adducitur, quia sanguis, etiam si habeat formam non viuētis, æquè erit corpus, ac si formam viuētis habeat.

Francisc. de Oniedo, Philosoph. Tom. II.

deinde in quacunque opinione sanguis dicitur sanguis hominis, intra cuius carnem continetur. Ergo cum sanguis inclusus intra carnem Christi dicatur, & verè sit Christi, & ad illum pertinens, & ex alia parte sit corpus, dicetur corpus Christi: ergo demonstrabitur his verbis: *Corpus meum* à Christo prolatis. En teneris respondere verbum *corpus* non significare in consecratione corpus metaphysicè sumptum; sed corpus solidum, quod fluido, & cum sanguine opponitur, quæ conclusio optima est, & æquè in vtrāque sententiā subicitur.

Obiicitur quartò. Sanguis augetur per iuxtapositionem: ergo non est viuens. Nego antecedens. Vnde enim constat augeri per iuxta positionem, an quia fluidum? minime; quædam enim solida augentur per iuxta positionem, alia verò per intrinsecum sumptionem: ergo idem in fluidis continget, in quibus nulla poterit dari ratio, propter quam non possint per intrinsecum sumptionem augeri.

Dicendum est secundò, ossa animari, sunt enim partes valde præcipuæ hominis, ex defectu enim cuiusvis ossis homo dicitur mancus: sunt enim ossa tota structura hominis, sine quibus consistere non valet.

Dicendum est tertio, dentes animari. Hanc conclusionem infero ex præcedenti, sunt enim eiusdem rationis cum reliquis ossibus, deinde eam probò: dentes non augentur per iuxta positionem; sed per intrinsecum sumptionem, quia pars dentium, quæ est extra carnem, & in puero est angustior, in eodem adolescente fit latior, & augetur, illi autem parti non applicatur materia per iuxta positionem vt augeatur. Si autem inquiras quomodo dentes cum carne continentur. Respondeo, continuari per quasdam fibras carneas, quibus à reliquis partibus carnis dependent.

Obiicies. Dentes non habent terminum accretionis, quod probatur, quia continuè illorum attritione plures eorum partes deperdi necessum est, & tamen non videmus illos fieri minores: ergo continuè crescunt, adhuc in senibus, quod non contingit in reliquis ossibus. Respond. reliqua ossa non continuè augeri, quia perueniunt ad propriam magnitudinem, quam cum non deperdant, neque possunt ad productiorem se extendere quantitatem, neque hac extensione indigent: dentes verò cum continuè admittant quantitatem illam, quæ est terminus accretionis illorum, proinde nutriuntur vt substantiam deperditam per nutritionem resarciant: neque ex hoc inferitur non habere terminum accretionis, hic enim non consistit in eo quod certo tempore transacto augeri non possit entitas, quæ terminum habet, sed in eo quod non possit certam magnitudinem excedere, vt patet in carne quæ terminum magnitudinis habet, & adhuc in valde senibus augetur.

Dicendum est quartò, plumas auium viuere: probatur hæc conclusio, quia plumæ auium augentur per intrinsecum sumptionem, & non per iuxta positionem, quod ostendit proportio, quæ omnes plumæ partes augentur, quæ non potest fieri per iuxta positionem, quia extremæ partes non possunt augeri per iuxta positionem, aliàs auiulæ ab auiibus augetur.

Dicendum est quintò, Capillos non viuere: hanc conclusionem præcipuè trado ex eo quod nullum indicium vitæ in capillis inueniam, neque fundamentum, vt eam illis concedam: deinde quia homo caluitie laborans non dicitur mancus, quod signum est capillos non esse partes hominis, sed excrementa quædam, quæ in proprium ornatum ordinauit natura. Deinde idem suadet ex illorum augmento, quod maximum esse solet, sunt enim aliqui equi, qui crinibus solum verrere possunt, quod signum est nullum terminum habere determinatum.

Obiicit Arriaga experientiam, quæ constat nonnullos homines instantis mortis metu correptos intra spatium vnus noctis incanuisse, quæ mutatio repugnaret, si capilli non haberent poros, per quos vitaliter qualitates, & humores fugerent. Licet enim vsque ad capilli radices humores traherentur non possent immutare capillum, præsertim longum. Ego sanè aculeum huius obiectionis non percipio, ad quid enim necessarij sunt pori in capillis, vt qualitates fugant, quæ breuissimo tempore canescant? qualitas enim nullis indiget poris, vt totum commect capillum, quia hæc non occupat spatium distinctum à quantitate capillorum. Deinde etiam si capilli poros habeant, per quos illam qualitatem attrahant, vnde inferitur hanc attractionem esse vitalem? nonne cum lana humiditatem corporis contigui attrahit, & lignum partes aquæ applicatæ per poros, talis attractio dicenda est vitalis? Certè si hoc dicatur,

B

dicatur,

dicatur, noua uiuentia hac experientia cognoscemus. Respondeo, illos homines canescere per productionem cuiusdam qualitatis prius productæ in capillorum radicibus, & deinde diffusæ per partes distantes ab humore, vel qualitate in carne hominis residente.

17 Aliam experientiam cuiusdam vnguenti cuius tactu capilli repente canescunt, quam pro nostra sententia sibi obiecerat Arriaga, in proprium fauorem vult conuerti, quæ negari possit, non enim facile inuenies, qui eam viderit, quia tamen illius difficultas nullius est momenti, in ea resoluenda non immoror: tantum moneo eodem modo illi responderi, ac argumento supra facto respondi.

18 Dicendum est sexto. Vngues non viuere. Hæc conclusio est contra Hurtadum & Arriagam, docentes medios vngues, quibus digiti operiuntur viuentes esse; non verò extremas illorum partes quæ digitis supereminent. Ego sanè differentiam inter medias, & extremas vnguuium partes non inuenio, pars enim quæ nunc est media successu temporis fit extrema, vt patebit, si in medio vngue punctum signes, quod postea in extrema illius parte inuenies. Deinde partes mediæ ac extremæ habent eadem omnino accidentia, neque in illis signum aliquod diuisionis inuenies: ergo sunt vnitæ, ergo sub eadem forma. Meam conclusionem probo, quia vngues nullum habent indicium vitæ: deinde crescunt per iuxta positionem, vt constat experientia per signa terminorum puncti dicta modò; deinde quia si duo signes semper æquè distabunt; qui modus augendi est proprius non viuientium, neque homo mancus dicitur ex eo quod careat vnguibus.

19 Obicit Arriaga: Ex eo quod ossa non sentiant, non licet inferri non esse viuientia: ergo ex eo quod vngues non augeantur per intus sumptionem, id non licebit inferri. Resp. quod etiam si ossa non sentiant, habent tamen proprietates alias, ex quibus inferitur esse viuientia: si verò ossibus demas augmentum per intus sumptionem nullum vitæ indicium in illis remanet.

20 Dicendum est septimo. Semen non viuere. Probat, quia non est pars hominis, non enim dicitur machus puer, in quo nondum semen est elaboratum, deinde quia semen non est datum in ordine ad viuens, in quo formatur; sed in ordine ad generationem aliis viuentis, ex quo inferitur non esse partem hominis, qui illud elaborat, pars enim est in ordine ad totum cuius est pars. Aliam rationem adducit Hurt. desumptam ex Arist. de Generat. animalium c. 3. ante finem, ubi de semine hæc scripsit: Nam illud quoque excrementum est, habetque omnes partes potentia, aliu nullam: ergo semen est excrementum, & non pars hominis: ergo non habet vitam. Quod autem luxuriosi sint debiles & macri, non est quia semen animatur: sed quia sanguinem, qui vitam habebat, infumunt in semine elaborando. Spadones verò machos esse dicimus, non quia careant semine, sed quia carent nervis, quibus semen elaboratur.

21 Dicendum est octauo. Lac non viuere. Probat hæc conclusio eisdem omnino rationibus, ac præcedens, datum est enim à natura intuitu prolis, non intuitu illud elaborantis, neque virgo in qua lac non est formatum, manca dicitur. Deinde lac est excrementum, non verò vt aliqui putant sanguis nimis coctus, quia sanguis est valde calidus, lac verò nimis frigidum.

PUNCTVM V.

An Animus rationalis indiuisibilis sit.

1 Probat multi animum rationalem esse indiuisibilem, ex eo quod spiritualis sit, de qua ratione iudicium ferre non poterimus, neque exactè Puncti difficultatem examinare, si prius non præmisserimus quid importet conceptus spiritus, quid conceptus corporis in tota sua latitudine accepti vt distincti ab omni ente spiritali.

S. I.

Quomodo alij rationem corporis & spiritus definiant.

2 Hurtadus disput. 4. de anima, sect. 5. asserit corpus esse quod componitur ex partibus integrantibus extensiuè, aut pertinet ad eam compositionem. Hanc definitionem desumpit ex nostro Vasquez, qui 1. part. quest. 1. disp. 188. n. 30.

ægrè fert Patrem Suarez constituisse præsentiam Angeli ex partibus integrantibus compositam. Contra hanc sententiam plures insurgunt recentiores, qui Patrem Suarez patronum compellant disput. 4. metaph. sect. 1. & latius de Angelis lib. 4. cap. 1. cum illo pugnantiter defendentes non esse de conceptu rei spiritualis carere partibus, in quas integraliter diuidi possit. Cum Suariorum, & recentioribus eorum sententiam sic probo: Gratia habitualis, contra partibus integrantibus intensiuè, ergo sunt possibiles plures gradus gratiæ spiritualis, & inter se distincti pertinent ad vnā compositionem saltem intensiuam, & de facto datur spiritualis gratia diuisibilis in partes intensas. Concedunt aduersarij, & ex concessis infero: ergo potest dari entitas spiritualis diuisibilis in partes extensiuè diuisibiles. Hic totus argumenti cardo: probo consequentiam intensio & extensio in qualitate tantum differunt per ordinem ad subiectum: gradus enim, qui vni eidem subiecto indiuisibiliter sumpti intensi dicuntur, per diuersas subiecti partes distributi dicuntur extensi: ergo gradus qui intensiōem constituunt, possunt extensionem constituere: probo: gradus qui vniuntur eidem subiecto indiuisibiliter sumpti, possunt vni diuersis partibus subiecti, quia per se essentialiter non sunt hi gradus ita inter se connexi, vt petant eandem subiecti partem, vel idem subiectum omnes simul informare, neque per se ipsos vniuntur huic subiecto: ergo hi gradus de facto informantes idem indiuisibile subiectum possunt per diuersa subiecta distribui, ex duobus enim gradibus gratiæ, qui sunt modò in anima huius iusti posset vnus esse in eadem anima, & alter in anima alijs iusti: ergo possunt etiam in diuersis subiecti partibus subiectari: ergo possunt compositionem integralem extensiuè constituere. Virgo: vnio partium subiecti recipientis formam non potest reddere subiectum incapax recipienti partes formæ, quas sine vnione recipere posset, sed duo subiecta spiritalia, si non essent vnita, & quolibet illorum esset totum adequatum posset recipere duos gradus gratiæ: ergo etiam si essent vnita, eosdem posset recipere, & ita posset illi gradus esse in diuersis partibus subiecti distributi.

Dices repugnare subiectum diuisibile potens recipere gradus distinctos gratiæ secundum distinctas sui partes. Contrariò non repugnat qualitas secundum suam entitatem diuisibilis in plures partes: non repugnat subiectum in se diuisibile. Recurris ad distinctionem compositionis intensiuæ & extensiuæ, sed non tutè: Gratia secundum suam entitatem præcisè consideratam compositionem habet, non secundum se intensiuam, vt ab extensiuâ distinguitur, quia gradus gratiæ inter se vniuntur à subiecto abstrahantur, compositionem faciunt non intensiuam, quia intensio subiecti connotat: ergo sicuti non repugnat qualitas secundum se composita ex partibus, non repugnat substantia secundum se diuisibilis in diuersas partes. Ex hac ratione infero compositionem omnem, siue extensiuam, siue intensiuam intrinsecè eiusdem omnino esse rationis, & tantum extrinsecè, & accidentaliter differre. Virgo in sententia veriori, quæ omnibus entitatibus præsentias distinctas impertitur, gratia intensa, vt octo, habet præsentiam diuisibilem in octo partes, quarum qualibet distincto gradui gratiæ correspondet: ergo hæc præsentia haberet compositionem in ordine ad subiectum, non intensiuam, quia non omnes partes gratiæ idem indiuisibile subiectum respicerent: ergo extensiuam: compositio enim extensiuâ non consistit in partibus correspondentibus diuersis spatijs partibus sed diuersis partibus subiecti: si enim modò huius papyri quantitas tota penetraretur, non ideo partes respondentes diuersis illius partibus non eandem compositionem extensiuam in ordine ad subiectum retinerent. Quod si velis compositionem extensiuam non solum entitativam subiecti, sed localem importare, dabo gratiam à subiecto separatâ cuius gradus Deus potest ponere vnū extra alterum localiter, & ita illius præsentia partes extensionem entitativâ & localem subiecti habebunt. Tandè virgo: et si forma spiritalis non possit educi ex materiali subiecto, tamè potest illi vniri, vt patet in anima rationali: ergo poterit Deus gratiam spirituale creare, & illâ vnire subiecto materiali diuisibili cū correspondentia partiū gratiæ ad partes subiecti, & ita compositionem integram extensiuam constituit. Plerique eandem sententiam impugnant ex præsentia Angelis, quæ per diuersas sui partes, in quas est diuisibilis, diuersas spatijs partes respicit, verū tamen facile probatur non esse præsentiam

praesentiam Angeli has partes distinctas continere, & non esse simplicem & indiuisibilem secundum se totam, totum diuisibile spatium, & singulas illius partes respicientem.

4 Efficacissime ad hominem eandem sententiam contra Hurtado impugno: Vnio animae rationalis subiectatur in materia, & est spiritualis in sententia Hurt. sed haec unio habet partes reales distinctas, diuersas materiae partes respicientes; ergo unio haec spiritualis diuisibilis est in diuersas partes integrantes. Negat minorem Hurt. quam sic probat: Si unio animae ad materiam esset impartibilis, in qualibet hominis diminutione perderetur tota illius unio. & alia adueniret. Similiter in qualibet augmentatione noua totalis unio produceretur, & antiqua corrumperebatur: ergo ex qualibet minima augmentatione, & diminutione resisteret alius homo, non solum integraliter: sed etiam essentialiter, quia resisteret alia unio, quae est de hominis essentia. Has illationes admittit Hurt. disp. 5. Physic. sect. 7. subf. 1. n. 12. i. quarum illatum consequens falsum esse ostendit. Nutritio non provenit ab anima secundum se, anima enim separata non causat nutritionem: ergo provenit ab homine: ergo supponit hominem tanquam principium illius: ergo supponit unionem constituentem hominem, sed non potest supponere unionem, ad quam terminatur & cuius est productio: ergo supponit unionem aliunde productam, non aliam nisi praexistente: ergo unio praexistens non corrumpitur in illo instanti temporis, in quo alia producit, nihil enim potest corrumpi in instanti in quo supponitur prius natura, quia in illo iam supponitur existens, & implicat aliquid corrumpi in instanti temporis, in quo existens supponitur: ergo in illo instanti, in quo est nutritio existit duplex unio ad quatuor, una ex parte principij, & alia ex parte termini quod absurdum est, vel ex unione antiqua & producta sit unio ad quatuor diuisibilis in partes.

5 Responderi posset ex doctrina Hurtadi, in homine reperiri duplicem unionem, quandam ex parte materiae diuisibilem in partes materiales, aliam ex parte formae, ex quibus unio diuisibilis tenens se ex parte materiae augenda per aliam partem unionis se tenet ex parte principij nutritiui ad partem unionis materialis producendam in augmentatione, & ad unionem totalem spiritualem tenentem se ex parte formae in eadem augmentatione producenda. Hoc effugium non habent, qui duplicem unionem non concedunt, sicuti Pater Vasquez, & alij, sed iam illud etiam Hurtado praeccludit. Ad nutritionem debet supponi ex parte principij homo essentialiter, per omnia quae illi sunt essentialia, sed si admittatur in homine duplex unio, non sufficienter, & adaequate constituitur per unicam unionem, sed essentialiter dicit utramque, ergo utraque unio debet supponi ex parte principij actionis nutritiuae, & non sufficit supponi unionem tenentem se ex parte materiae.

6 De hac re acutè recentiores latè egere, quorum opiniones referre, satis esse operosum, quia tot sententias quot capita inuenio, omnes tamen ad duas classes reducuntur. Prima est illorum, qui per extensionem localem rationem corporis explicant. Secunda eorum, qui per dependentiam à quantitate, seu materia primà corpoream constitunt. Primi in indiuisibile quantitatis reiciendi sunt, quod non habet extensionem, & est corporeum. Dicunt aduersarij indiuisibile quantitatum ordinari ad extensionem. Non satisfaciet solutio opinantibus totum ex indiuisibilibus componi, quia secundum hanc sententiam, indiuisibile etiam praecisum ab omni alio, & à corpore totam essentiam retinet quantitatis, ac proinde, licet possit cum alio indiuisibili totum componere per se non ordinatur essentialiter ad illud cum quo extensionem constituit, quia sicut non dicimus unam partem integram essentialiter ordinari ad aliam, sic in hac sententia unum punctum quantitatis ad aliud essentialiter non ordinatur. Secundò concedunt multi ex recentioribus possibile esse totum corporeum completum, quod nullam habeat compositionem integram, nec extensionem. Possent dicere hoc totum & illud indiuisibile, fieri impenetrabile, quam solutionem impugnabunt obiectiones, quae contra propriam sententiam adducunt, quibus solutiones nostrae in hac sententia se explicata non poterunt adhibere.

7 Auctores secundae classis impugnandi sunt, quia actio creatiua caloris non dependet à quantitate, neque à materia prima mediata, neque immediata, suum enim respicit

Franc. de Cusaco, & philosoph. Tom. 11.

calorem tanquam terminum, neque medio illo potest à subiecto dependere, cum potius calorem ipsum independentem ab omni subiecto constituat, & posita creatione caloris existit calor omnino independentis à quantitate, & à materia prima. Hanc impugnationem, & praecedentem passim apud recentiores reperies: aliter ego sententiam impugno. Phantasma materiale eleuatum ab intellectu spirituali producit in intellectu speciem impressam, vel expressam spirituales: ergo actio productiua talis speciei, quae spiritualis est, & in anima recipitur, pendet à phantasmate: ergo à re corporea: ergo entitas spiritualis potest dependere ab entitate materiali. Forsan haec phantasmata si aliquibus recentioribus apparuissent, deteruissent illos ab hoc dicti modo. Respondebit aliquis dependentiam in genere efficientis à quantitate, non obesse rationi spiritus, neque ratione corporis constituitur. Contrà: Nulla definitio huius differentiae meminit, sed omnes rationem corporis explicant per dependentiam à quantitate, seu à re quanta, & quia actio terminatur ad rem quantam, vel corpoream (v.g. calorem) corporea dicitur: ergo potiori iure deberet dici quanta, quia dimanat tanquam à principio, à re quanta, si in hac dependentia ratio corporis consisteret; dependentia enim ab efficiente priorior est, quam à termino.

§. II.

Definitio rei spiritualis, & corporeae iuxta propriam sententiam.

8 Sic ego rationem corporis in tota sua latitudine ut distincti ab spiritu definio. *Entitas, cui in statu, qui naturaliter illi potest accidere, formaliter ratione intrinsece repugnat penetratio cum alia eiusdem speciei omnino à se diuisa.* Illud autem intrinsecè, intelligo ratione ipsius entitatis, vel ratione aliud entitatis, quae illi intrinseca sit, siue sit terminus extrinsecus, siue subiectum, quod dicitur intrinsecum formae, non verò ratione agentis, quod extrinsecè se habet respectu actionis, nam licet actio intrinsecè referatur ad agens, refertur intrinsecè tanquam ad terminum extrinsecum, in ordine ad quem extrinseca dicitur. Ratio spiritus definienda est: *Entitas, cui in statu, qui illi potest naturaliter contingere, non repugnat formaliter ratione intrinsece penetratio cum alia entitate eiusdem speciei omnino à se diuisa.* Definitiones has maiori explicatione existimo non indigere, nihil enim in illis ambiguum, neque obscurum video, nulla enim res corporea poterit assignari, quae priori definitione non comprehendatur, neque spiritualis, quae posterius conceptum subterfugiat. Vtrumque ex argumentorum solutione clarè constabit.

9 Obiicies primò. Species impressae diuersorum obiectorum & illarum actiones productiuae existentes in eadem parte aëris, sunt penetratae, & eiusdem speciei, quando obiecta specie non differunt: ergo potest dari entitas corporea penetrabilis cum alia eiusdem speciei omnino à se diuisa. Respondeo, has omnes entitates non esse omnino à se diuisas, si sunt in eadem parte subiecti, si autem sunt in diuersa parte, penetrari non poterunt. Obserua non posse hanc adhibere solutionem, qui per impenetrationem cum alia re eiusdem speciei conceptum corporis explicant, & omnimodam diuisionem inter extrema non exposcunt.

10 Obiicies secundò. Actio spiritualis, ex vi cuius producit species impressa, vel expressa à phantasmate; non potest penetrari cum alia actione eiusdem speciei omnino à se diuisa: ergo non rectè definiuimus conceptum rei spiritualis. Respondeo, hanc actionem ex se & ratione termini, atque subiecti penetrabilem esse cum alia quacunque eiusdem speciei omnino ab illa diuisa, fieri tamen impenetrabilem ratione principij actiui, à quo dependet, quod non est esse impenetrabilem ratione intrinsece, cum principium actiui extrinsecum sit, ac proinde totam rationem spiritus in se continet, cum ratione sui & ratione omnium, quae illi intrinseca sunt, penetrationis sit capax. Actionem hanc fieri impenetrabilem ratione principij actiui, probatur & explicatur facillè: Actio debet esse approximata phantasmata à quo procedit: sed duo phantasmata omnino à se diuisa existentia in diuersis viucentibus non possunt non distare: ergo actiones ab illis procedentes, & quae necessariò sunt illis intimè praesentes, quia intimam praesentiam habent cum anima, quae idem subiectum informat, ex quo phantasma educitur, non possunt non distare: ergo

ergo sunt hæ actiones impenetrabiles ratione principij actiui, nequialud est caput, ex quo illis penetratio repugnet.

Obiicies tertio. Modus vnionis potest esse in anima, in qua si recipiatur necessario spiritualis erit, & non poterit penetrari cum alio modo vnionis ab illo diuiso ratione materię, quam respicit vt extremum vniendum: ergo ratione termini intrinseci erit impenetrabilis: ergo non recte definimus rationem spiritus per non repugnantiam penetrationis ratione intrinseci cum re eiusdem speciei omnino ab alia diuisa. Respondeo negando modum vnionis inter materiam, & formam hominis posse esse spirituales, & in anima recipi. Neque vis argumenti peculiariter in hac sententia hanc responsionem extorquet: Idem enim tenentur dicere, qui conceptum corporis per dependentiam à re corporea explicant: Et Arriaga, qui modum vnionis dixit esse in anima, coactus est asserere materiam esse, & rem materialem in subiecto spirituali recipi. Hurtadus verò, qui illum spirituales constituit, vi consequentię ductus concessit animam in qualibet augmentatione, & diminutione totam amittere vnionem, & consequenter in singulis instantibus, quibus fit mutatio, vel augmentatio corrumpi hunc hominem, & alium assurgere.

Obiicies quarto. Actio creatiua caloris potest penetrari cum alia actione creatiua caloris omnino à se diuisa, & tamen est corporea: ergo nostra corporis definitio apta non est. Probo antecedens: Actio creatiua caloris extrahit calorem à quantitate, sed calor sine quantitate existens potest penetrari cum alio calore: ergo & actiones terminatæ ad vtrumque calorem. Resp. actionem creatiua terminatam ad calorem extrahere terminum à quantitate tantum à subiecto inhaesionis, non verò impedire vnionem eiusdem caloris à quantitate, quam exigit calor, siue sit creatus, siue eductus ex eo præcisè quod sit corporeus, ac proinde calori, etiam supposita creatione, non potest naturaliter contingere separatio à quantitate, ac proinde neque penetrabilitas cum alio calore etiam creato, qui eandem exigit quantitatem: quod si calori etiam creato non potest naturaliter contingere penetratio, neque creationi contingere poterit. Aduerte me non dixisse rem corpoream naturaliter existentem non posse penetrari, sed non posse rem corpoream penetrari in statu, qui illi naturaliter contingere potest, quæ valde differunt, quia materia prima supernaturaliter quantitate priuata naturaliter existit, & posset penetrari cum alia materia eodem modo se habente, non tamen posset penetrari in statu, qui naturaliter illi contingere potest, quia non potest naturaliter contingere materiam esse sine quantitate, etiam si quantitate supernaturaliter ablata, naturaliter, hoc est, sine nouo miraculo conseruetur. Idem dicito de forma materiali, etiam indiuisibili, quæ independentè à subiecto posset naturaliter creari, hæc enim vel esset radix quantitatis recepta in se ipsa, vel saltem peteret quantitatem vniri, vel per se ipsam esset impenetrabilis.

Vrgebis adhuc: etiam si hæ entitates vnionem petant ad quantitatem, poterunt naturaliter hac vnione carere scuti aqua caret frigiditate, quam exposcit, ergo naturaliter potest cōtingere his entitatibus status, in quo possint penetrari. Respondeo negando antecedens: ad exemplum desumptum ex separatione quæ naturaliter contingit inter aquam & frigiditatem, dico disparem esse rationem, quia dum aqua exposcit frigiditatem est aliud agens naturale fortius exigens expellere frigiditatem ab aqua, & de facto illam naturaliter expellit, & ita contingit aquam naturaliter absque natuiua frigiditate remanere; dum verò hæc entitas quantitatem sibi vniendam exposcit, nulla alia reperitur, quæ intendat impedire vnionem quantitatis cum illa, vel illam iam vnitam destruere. Ex quo fit non posse naturaliter entitatem, quæ quantitatem exposcit, illa carere.

Obiicies quintò. Præsentia, quam habet Angelus Michael Romæ, non potest penetrari cum præsentia, quam habet Raphael, vel alius Angelus eiusdem speciei Compluti, & tamen hæ præsentie sunt eiusdem speciei spirituales, ergo datur entitas spiritualis impenetrabilis ratione sui cum alia eiusdem speciei omnino à se diuisa. Respondeo has præsentias non esse impenetrabiles, ex eo quod vna pellat aliam ab spatio, quod respicit, non enim ex eo quod præsentia Gabrielis modò respiciat hoc spatium impeditur præsentia, quam habet Raphael Romæ, ne illud respiciat, quia etiam si præsentia Gabrielis non existeret, non posset illud respicere, sed ex

eo quòd sint immobiles per accedens illis contingit impenetratio, non verò formaliter per impossibilitatem, seu resistantiam inter ipsas præsentias in ordine ad idem spatium. Addo præsentiam Gabrielis existentis in quocunque spatio penetrari cum aliis pluribus eiusdem speciei.

Obiicies sextò. Præsentia definitiua, quam habet Christus in Eucharistia est corporea, & est penetrata: ergo. Respondeo in sententia admittente præsentiam circumscriptiua, & definitiuam specie non distingui, præsentiam definitiuam dicere multas circumscriptiuas supernaturaliter penetratissimè in opinione verò præsentias has distinguente, præsentia definitiua quantitatis Eucharisticæ est entitatiuè indiuisibilis, & ita in se nullam habet penetrationem, neque cum alia aliud subiectum efficiente naturaliter poterit penetrari.

Obiicies septimò. Anima rationalis vnita corpori non potest vniri cum alia anima rationali alij corpori vniti: ergo entitas spiritualis non potest penetrari cum alia spirituali animā à se diuisa. Respondeo de ratione entitatis spiritualis non esse posse penetrari in omni statu, qui illi naturaliter contingere potest, sed in aliquo, quod conuenit animæ rationali, quæ potest penetrari cum alia in statu separationis, qui naturaliter illi contingit.

S. III.

Animam rationalem indiuisibilem esse ostendo.

Astinendum est iuxta dicta à ratione, quam plures desumunt, desumpta ab animæ spiritualitate, cum dixerimus rem spirituales posse partibus consistere.

Sit prima conclusio: Anima rationalis non est composita ex partibus essentialibus, materia videlicet & forma: assentiunt omnes Doctores, & ex nostris conclusionem probat Hurtad. vbi affirmat oppositam esse improbabilem Arriag. disput. 1. sect. 5. num. 178. Lege Suarez sect. 14. citata. Ratio fit: Anima rationalis est forma respiciens subiectum, cum quo totum componitur: ergo ipsa subiectum non habet, neque ex illo componitur. Probo consequentiam: forma est entitas incompleta: ergo non indiget subiecto, ex quo componatur, neque illud potest habere, quia si forma componeretur ex subiecto & forma, rursus illa forma ex qua componitur, ex alia forma, & ex alio subiecto posset componi, & sic in infinitum forme procederent. Secundò de ratione materię substantialis compositi est, esse puram potentiam, & primum subiectum nullam in sua entitate formam includens: ergo de ratione formæ substantialis compositi est esse purum actum, & id quod primò informat nihil in se includens potentia, seu subiecti quod alio informetur.

Respondet Arriaga: ex hoc capite rem non euidenter probari, quia posset dici animum rationalem compositum esse ex materia, & forma, nihilominus esse entitatem incompletam, quia ordinaretur ad componendum compositum constans duplici materia, quadam materiali, & alia spirituali, & hæc subiectari in illa, ita vt materia spiritualis sit veluti forma materię materialis, & subiectum forme spiritualis. Mea quidem sententia nulla maior euidentia excogitari potest, quàm illa quæ cogit ad has chimeras constringendas, vt argumenti robur aliquo modo declinari possit Chimericum esse compositum, ad quod confugit Arriaga, vt prædicto argumento euidentiam neget, sic probò: Si demus compositum ex materia & forma esse entitatem incompletam, quia ordinatur ad aliud compositum constans duabus materiis, de illo composito constanti forma & duabus materiis eodem modo asseram esse entitatem incompletam, quia ordinatur ad componendum aliud quod peti constitui ex forma, & tribus materiis, & sic in infinitum; non enim maiori fundamento fingis compositum ex duabus materiis, quàm ego illud ex tribus constans confingo; imò tu ex proprio cerebro compositum istud machinaris, ego verò in composito à te facto fundamentum habeo ad meum compositum statuendum.

Deinde multipliciter hanc materiem impugno, ex definitione materię tradita ab Aristotele: *Primum subiectum ex quo, &c.* Illa autem materia spiritualis non esset primum subiectum, reciperetur enim in alio: deinde si illa materia esset, simul cum materia corporea suas operationes exerceret: ergo ex hoc capite illa materia spiritualis non esset necessaria; neque ad hoc vt forma spiritualis educatur ex illa, hæc enim creatur: ergo ex nullo capite: deinde etiam

etiam si possibile esset tale compositum, sine fundamento diceretur animum rationalem hanc compositionem habere, ac proinde absolute negari debet, sicut negamus Angelos, qui de facto dantur, esse compositos, etiam si aliter possibile esset totum substantiale spirituale ex materia, & forma compositum.

21 Dicendum est secundo, animam rationalem carere partibus integranibus, & esse entitatem omnino indivisibilem: Hæc conclusio à nullo Catholico est hucusque negata, & probatur ex immortalitate animæ, quia si anima esset diuisibilis, & haberet partes diuersas, & in diuersis partibus, quando per diminutionem, vel sectionem brachij, aliūve partis diuisionem aliquid hominis corrumpitur, pars illa animæ, quæ correspondebat materiæ vel corrumperetur, vel saltem maneret separata à subiecto, utrumque est inconueniens, quia si corrumperetur sequeretur animum rationalem non esse incorruptibilem: si verò pars illa maneret separata à subiecto, inquiri, vbi nam esset? & an pars illa, quæ separaretur ab homine existente in peccato damnetur. & pars quæ ab eodem existente in gratia esset separata salua fieret? & an ex partibus eiusdem animæ quædam æternis suppliciis essent addictæ, aliæ verò æternā perfruerentur felicitate?

22 Licet nobiscum in hac re sentiat Arriaga, non vult tamen prædictæ rationi acquiescere: asserit responderi posse partem animæ separatam à materia per diminutionem seu corruptionem partis integralis hominis, manere intra corpus non illud informans, sed tantum ut sit vnita alteri parti eiusdem animæ corpus informanti. Contra hanc solutionem sic infurgo: pars illa quæ amittit vnionem non informat corpus: ergo quantumvis dicatur esse intra corpus tantum potest significari illi esse intimè præsentem localiter: ergo pars illa non informans est in statu separationis, quia per præsentiam localem animæ non vnita in spatio, in quo est corpus, non amittit suum statum separationis: ergo pars illa poterit operari independentè à corpore: ergo in homine erunt partes quædam animæ quæ dependant secundum suas operationes à corpore, & aliæ quæ independentè à corpore operantur.

23 Nec valet si dicas: partes separatas esse minimas, ac proinde operari non posse, quia in iam fene continuā diminutione plures partes animæ fuerunt separata à materia, ac proinde plures sunt partes, quæ in illo possunt independentè operari: Cùm verò omnes sint inter se vnitæ, portio illa animæ quæ non est corpori vnita sufficientem diuisibilitatem entitativam habebit ad operandum. Dices, partes animæ separatas in diminutione facta in hoc instanti, seu in hac parte corporis reūiri in augmentatione facta in alio instanti, vel in alia parte corporis, ac proinde partes separatas nunquam habere diuisibilitatem sufficientem ad operandum. In primis hæc solutio adhiberi nō potest in abscissione brachij, in qua simul plures partes animæ amittunt vnionem, quin viuens partium illā fracturam recuperet. Deinde illam impugno, quia si augmentatio fit per extractionem partium non vnitarum à corpore, sequitur instantem habere multo plures partes non vnitas quàm vnitas corpori, quia multo plures sunt partes materiæ, ad quas se extingunt partes illæ, quas sine vnione intra corpus confingit per augmentationem, quàm illæ, quas in corpulculo infans habet materiæ vnitas: ergo anima infantis recens nati poterit independentè à corpore operari, secundum partes illas, quas habet corpori non vnitas. Longum esset insectari solutiones varias, quæ sine fundamento contra bonam Philosophiam adhiberi possunt, sicut enim fundamentum nullum habent: ita omni carent termino. Addo hanc sententiam aliquantulum incidere in errorem Platonis asserentis animam esse actū assistentem, & non informantem, qui damnatus est in Concilio Viennensi, ut suprà vidimus. Contrauerſ. 1. punct. 2. §. 2. quia admittit plures partes animi rationalis non informantes sed tantum localiter præsentēs, quas in fene, vel in infante probauit fore plures partibus vnitis & informantibus.

24 At insuper Arriaga responderi posse prædictæ rationi, animam habere partes integrantes, omnes tamen esse vnitas, cuiuslibet indivisibili parti subiecti, ac proinde etiam si amittat vnionem cum hac parte subiecti, illam retinere cum alijs, sicut nos modo philosophamur de anima indivisibili. Contra tamen, quia vel quælibet pars formæ est sufficiens informare partem subiecti, cui correspondet

Franc. de Guieda, Philosoph. Tom. 11.

adæquatè independentè ab alia, vel non? si est sufficiens, ad quid aliæ partes animæ in eandem partem subiecti cōfluunt? Deinde subiectum illas non admittet, quia cūm sufficienter informetur hac parte animæ, non poterit aliā recipere, sicut non potest recipere plures formas, ex eo quod vna adæquatè informetur: Si non est sufficiens, imperfectiores partes tribuit animæ rationali, quàm formæ ligni, in ligno enim pars simplex formæ sufficiens est informare partem subiecti sibi respondentem sine confortio alterius, quod non concedis partibus rationalis animæ. Deinde constituis animam rationalem intentam, sicut albedinem, ponis enim plures partes illius in eodem indivisibili subiecto, quarum quælibet præstat eundem effectum, eiusdem rationis, ac omnes simul.

25 Aliter dici posset animum rationalem fuisse creatum cum omnibus partibus necessarijs ad deorganizationem, siue homogeneis, siue heterogeneis & in nutritione easdē extendi & replicari in diuersis subiectis, sicut nos dicimus de tota anima rationali. Contra eadem pars diuisibilis animæ potest secundum hunc dicendi modum extendi ad nouas partes subiecti, in augmentatione, & contrahi ad pauciores in diminutione, est enim de vtroque motu eadem ratio; ergo melius poterit tota anima indivisibilis extendi, & contrahi ad maius & minus subiectum, quia perfectior est tota indivisibilis anima, quàm vna pars animæ diuisibilis: ergo potiori iure hæc replicatio formæ in diuersis partibus subiecti formæ indivisibilis debet concedi, quàm parti diuisibilis formæ. Secundo si immediatè post primam hominis conditionem, in qua forma esset producta cum omnibus partibus, quarum singula singulis subiecti partibus responderet, aliqua diminutio viuenti contingeret, illa pars formæ, cuius materiam deperdebat compositum, contrahenda esset ad aliquam partem materiæ iam sufficienter informatam aliā parte formæ, quod cōtingere non posset, quia materia, sufficienter informata formam aliam saltem naturaliter non admittit. Diceret aliquis, viuens nullam posse pati diminutionem in his partibus, quas in prima conditione acquisiuit, non alia maiori vel saltem æquali uugmentatione præmissa, quia in prima productione cōstituitur forma in minimo materiæ requisita, à quo si aliquid auferatur, tota substantia viuents corrumpitur. Non contemnenda solutio, verumtamen satis firma non est, quia, licet certum sit formas viuents minimum habere determinatum, in quo possunt produci, & non in minori subiecto, verumtamen non est certum ipsas semper in minimo produci. Mitto contra hunc dicendi modum speciem chimæræ præ se ferre, dari animam rationalem diuisibilem cum singulis partibus respondentibus singulis subiecti partibus, quarum aliquæ in prima pueri augmentatione replicentur in subiecto, & non aliæ, & postea in adolescentia, & in adultæ ætate, quædam sint ter, aliæ quater, & aliæ sexies in diuersis subiecti partibus repetita.

26 Obiic. primò. Anima rationalis potest esse per nos in pluribus partibus subiecti: ergo poterit esse in alijs & alijs pluribus: ergo poterit indivisibilis anima rationalis informare ingentem materiæ molam. Resp. negando consequentiam. Ratio propter quam consequens illatum cōtingere non potest, quia anima rationalis petit corpus organicum, quarum partes tantum in se cum aliqua latitudine distantiam exigunt, quàm excedere nequeunt per augmentum, neque illam per materiæ decrementum non adimplere, quia de ratione corporis organici est terminos magnitudinis & paruitatis habere.

27 Obiic. secundo. Anima rationalis est eadem in brachio & in pede: ergo potest se mouere duplici motu contrario pede deorsum, & brachio sursum. Respondeo duplicem esse opinionem circa præsentiam animæ rationalis: Vna affirmat illius præsentiam esse diuisibilem, ita ut diuersa sit pars præsentia quam habet in pede ab illa quam habet in brachio. Altera tenet eam habere indivisibilem præsentiam in brachio & pede, & in omnibus partibus corporis simplicissimam esse. In opinione asserente præsentiam animæ esse diuisibilem, dicendum animam moueri duplici motu inadæquato, seu duplici parte motus, vna sursum, & deorsum a tera, cūm videmus hominem brachium leuare, & pedem deprimere, quia sicuti præsentia quam habet anima in brachio est præsentia inadæquata, ita motus quo mouetur in brachio inadæquatus est: neque est inconueniens asserere animam per diuersas partes præsentia moueri

moueri sursum & deorsum, cum necessariò dicendum sit moueri per diuersa spatia, cum videmus moueri per spatium in quo mouetur pes, & brachium, quæ partialiter sunt diuersa, sicuti præsentia illis correspondentes, diuersæ partialiter sunt. In sententia quæ præsentiam animæ indiuisibilem constituit, etiam si videamus brachium sursum moueri, & pedem deorsum in eodem tempore, non debemus duplicem motum adhuc partialem admittere; quia ubi non sunt partes præsentia diuersæ, non possunt esse diuersæ partes motus, sed dicendum est eodem indiuisibili motu moueri brachium sursum, & pedem deorsum, sicuti eadem indiuisibili præsentia anima constituitur in spatiis, quorum acquisitio, motus sursum, & deorsum dicuntur. Secundum hanc sententiam cum manus mouetur immoto toto corpore, corrumpitur non solum præsentia, quam habebat anima in manu sed etiam in pede, quia necessum est corrumpi præsentiam animæ, quæ erat in manu, & hæc eadem indiuisibilis est cum præsentia, quam eadem anima habet in pede, & non potest vna sine alia corrumpi, vel, ut proprius loquar, eadem corrumpi, & non corrumpi, quia præsentia quam habet anima in manu & in pede eadem est, & alia dici nequit. Est etiam præsentia diuersa, quam acquirit manus, cum mouetur circa idemmet spatium, quia cum anima constituta sit per eandemmet indiuisibilem præsentiam in spatio pedis, & manus, præsentia manus, & pedis, & tota indiuisibilis anima præsentia indiuisibiliter sumitur à toto spatio, quod occupat anima in pede, & in manu & in reliquis corporis partibus.

28 Obiicias. Anima indiuisibilis potest informare subiectum diuisibile; ergo potest etiam idem subiectum informare, etiam si esset diuisum. quia non informaret plus subiecti, si informaret duo subiecta diuersa, quam informat quando est vnita subiecto ex illis duobus vnitis composito. Respondeo negando consequentiam, & insito, in Angelo, qui potest esse in spatio diuisibili, & non potest esse in spatio iam diuiso, ex quibus idem diuisibile spatium componebatur. Rationem propter quam anima rationalis non possit informare duo subiecta diuisa, quæ informant vnita, communiter assignant Philosophi, quia anima informans duo subiecta diuisa simpliciter constitueret duo composita. Non acquiesco huic rationi, quia duo illa subiecta totalia non plus substantia habent, quam habet vnum totale compositum ex duobus illis subiectis vnitis & informatis eadem forma, denominatio autem vnus, vel multiplex substantia præcisè sumpta non dicit maiorem perfectionem, non enim maior perfectio est in duobus aquis diuisis quarum quælibet totalis dicitur, quam in eisdem vnitis, quæ posita vnione partiales dicuntur. Respondeo animam rationalem non posse informare duplex subiectum diuisum, quia informatio animæ ad quamlibet partem petit totam hominis deorganizationem existentem in subiecto vnito, ita vt non possit dari talis informatio si non detur tota deorganizatio requisita ad illam in subiecto vnito, quia partes viuentes, etsi accidentaliter, & extrinsece tantum heterogeneæ, petunt habere inter se vnionem, ex quo fit animam existentem in subiecto quantumvis exiguo, necessariò esse in subiecto habente deorganizationem capitis, & cordis, &c. Ex quo fit non posse esse in alio, quia in illo etiam deberet habere deorganizationem capitis, & eiusdem partium, & eadem forma substantialis vnica tantum deorganizationem capitis exigit in suo subiecto, neque duplicem potest naturaliter habere.

92 Si obiicias in præsentia Angeli hanc non reperiri deorganizationem, & nihilominus non posse esse in duplici spatio diuiso, seu non immediato, videlicet in duplici angulo huius cubiculi, si non sit in medio, & potest simul in toto cubiculo, & quolibet parte spatij intra illud contentum: ergo independentè à deorganizatione reddenda est ratio propter quam anima rationalis non possit informare subiecta diuisa, quæ potest vnita. Respondeo non leue esse fundamentum ad affirmandum præsentiam Angeli esse indiuisibilem, ne ex diuisibilitate illius inferatur Angelum posse esse in duplici spatio etiam non continuo, quod si defendatur præsentiam Angeli diuisibilem esse, posset responderi partes præsentia Angelicæ esse immediatè, & per se vnitas vnione identificata cum ipsis extremis, quæ dicuntur vnita, ac proinde non posse existere partes huius præsentia sine vnione ad alias, & ita Angelum præsentari spatio vnito, cuius partibus inter se distantibus præsentari nequit,

quin simul medio interiacenti præsentetur. Quod difficile puro. Quapropter dum alia non tibi via superit, quæ prædicto argumento satisfacias, satis erit illo vti ad probandum præsentiam Angeli esse indiuisibilem.

PUNCTUM VI.

De diuisibilitate materialium animarum.

Plantarum, atque animalium imperfectorum animas diuisibiles esse Philosophi omnes moderni fatentur, ex antiquis vix vllus ab hac sententia dissentit: pro opposita referuntur Plato, Simplicius, Caietanus, Thienensis, & Senensis, Hugo apud nostros Conimbr. lib. 2. de anima cap. 1. quæst. 8. Circa animas brutorum perfectorum est maior dissensio inter Doctores. Animas brutorum esse indiuisibiles, sentiunt quàm plures Thomistæ, Caietanus, quæst. 76. art. 8. Heru. in 1. sententiarum dist. 8. q. 4. Bonauent. in 1. dist. 8. in 2. p. distinctionis quæst. 3. Alensis lib. 7. ad Metaphys. ad text. 56. Eandem tradidit noster Suarez lib. 1. de anima cap. 13. num. 9. opere posthumo, non tamen lucem videret hæc opinio, ni fulgentissima illius auctoris mundo esset extincta, eam enim vitæ superflus illius retractauerat disput. 15. Metaphys. sect. 10. num. 32. & in eodem lib. de anima cap. 2. num. 19. probabilissimum censet animas inuentibus omnibus præter hominem diuisibiles esse, vbi meminit, id quod obiter dixerat dicta sectione 10. Metaph. num. 40. & id supponit manifestè, dum probat animas brutorum perfectorum habere partes heterogeneas.

Sententiam asserentem brutorum animas diuisibiles esse tutantur Scotus in 4. dist. 4. quæst. 1. art. 1. Durandus in 1. dist. secunda parte distinctionis quæst. 3. num. 10. Capreolus in 2. dist. quæst. 1. Mar. in 2. q. 11. art. 1. & 2. de generat. quæst. 1. & 2. Petrus de Mantua tract. de 1. & vlt. instanti. Suarez in Metaphys. loco supra citato. Toletus lib. 2. cap. 2. quæst. 5. Peireir. lib. 6. Philosophia, cap. 3. Hurt. dist. 2. sect. 4. Amiaz dist. 1. sect. 6. subf. 9.

PRIMA CONCLUSIO. Animæ plantarum, & animalium imperfectorum diuisibiles sunt. Probatio sumenda est ex rationibus, quibus conclusione sequenti probabo brutorum perfectorum animas partibus componi; specialem pro hac cõclusionem adhibeo. Diuisa arbore remanet anima in vtraque parte illius, sed nõ potest eademmet indiuisibilis in duplici subiecto diuiso permanere: ergo permanet secundum diuersas partes, in quas totalis forma per diuisionem resoluitur: ergo ante diuisionem illas continetur. Idem argumentum fit in lacerta, cuius dimidium corpus diuisum mouetur, & sentit dum pugnat, quod quoties experimur. Et D. Augustinus testatur lib. de quantitate animæ cap. 31. se vidisse in agro Lyguro vermiculum multipedem quem stylo percussit vnus ex discipulis eiusdem Augustini in duas partes secuit, quarum vtraque in diuersa loca fugiebat, quod fieri non posset, si vtraque pars vermiculi anima non foueretur. Quæ spiritibus vitalibus tribui nequeunt, quia sensatio essentialiter ab anima dependet, & reptationis motus animam supponit ex parte principij in animalibus imperfectis, sicuti in homine, & aliis brutis progressus motus.

Huic argumento nulla superest solutio, nisi dicatur in diuisione horum viuientium corrumpi animam informantem materiam illam vnitam, & duplicem aliam produci informantem duplicem materiam diuisam. Hanc ratio solutionem, quia si semel in animantibus admitteretur pro defendenda indiuisibilitate animarum, liceret vti illa ad defendendum omnes materiales formas non viuentium indiuisibiles esse, posset enim dici formam ignis esse indiuisibilem, & totam corrumpi igne diuiso, produci tamen aliam in singulis partibus illius, ita vt semper remaneant cum forma ignis, imò facilius posset in his formis solutio subistere, quia cum in qualibet parte materie diuisi ignis remaneant omnes dispositiones requisitæ ad ignem, faciliè posset in singulis forma ignis produci, neque impugnationem pateretur solutio, quam in illam pro formis, de quibus agimus iam adhibeo. Quando diuiditur lacerta, cauda à corpore præcisè non habet omnia organa requisita, neque omnes præstias dispositiones ad formam viuentis: ergo nõ potest in illius materia noua viuētis forma produci ad exigentiam dispositionum, quia non exigunt formam

formam quovisque sint omnes dispositiones ad illam requiritur: ergo nullum est agens quod exigit productionem nouæ formæ: ergo Deus non illam producit, quia Deus naturaliter loquendo nullum effectum naturalem producit, nisi ad exigentiam causarum naturalium; ergo à nullo agenti producit, quia quando laceram ferri ictu diuidimus, nullum est agens naturale quod valeat laceratæ formam producere. Ex primo antecedenti omnia per legitimam veniunt consequentiam: Inter organa requisita ad productionem formæ laceratæ necessariò annumeranda est deorganizatio ad caput, stomachum, aliisque partes magis præcipuas viuētis, aliis naturaliter viuens primò produceretur sine aliqua illarum: ergo deficiente totà illa deorganizatione deficit adæquata dispositio, quæ exigit productionem formæ viuētis. Idem dicitur de arbore quæ non producit sine deorganizatione ad radices, sine qua in ramo secto illius forma conseruatur, vt patet in ramo, qui alij arbori infertus non solum in flores, verum etiam in fructus erumpit.

5 SECUNDA CONCLUSIO. Formæ brutorum perfectiorum constant partibus integrantibus. Probanda est conclusio ex dictis lib. II. Physic. Controu. 3. part. 4. vbi probaui formas materiales educi ex potentia materiæ, & produci dependenter ab illa tanquam à vera causa materiali: quo supposito sic argumentor. Forma materialis equi sufficienter dependet à materia, quam informat in primo instanti generationis: ergo illa materia à qua dependet in primo instanti generationis, est causa materialis adæquata respectu formæ: ergo quando augetur equus, non potest eadem met forma dependere à noua parte materiæ, quæ viuenti accrescit. Prior consequutio euidens est, posteriori probaui. Posita dependentià adæquata, non potest effectus aliam naturaliter habere, alias naturaliter haberet duplicem dependentiam adæquatam ab eadem causa: ergo posita dependentià adæquata formæ equi à materia, quam acquisiuit in primo instanti generationis non potest habere dependentiam à materia acquisita per nutritionem: ergo producenda est noua alia pars formæ quæ incipit dependere à noua materia: ergo equus iam nutritus constat partibus formæ: ergo ante nutritionem, etiam paucioribus, tamen partibus formæ componebatur, quia forma per augmentationem acquisita eiusdem rationis est cum forma in primo instanti generationis producta.

6 Dices formam sufficienter dependere à materia, quam acquisiuit in primo instanti generationis per passionem qua dependebat ab illa inadæquate per aliam dependentiam, seu causalitatem: sicut calor adæquate dependens ab hoc igne in hoc instanti, incipit in sequenti, in quo applicatur alius ignis, à quo semel cum præexistente conseruatur, dependere inadæquate ab illo per aliam causalitatem indiuisibiliter ab vtroque igne dimanantem. Similiter materia, quæ antea adæquate formam sustinebat, alia adueniente poterit passuum concursum attemperare & simul cum materia adueniente per passionem indiuisibiliter vtramque materiam recipientem causæ tantum inadæquate munus exercere.

7 Do adductam Doctrinam in exemplo de conseruatione agentis attemperantis suum concursum præsentis alio in ordine ad conseruationem, & ostendo in nostro casu locum habere non posse. Actio illa augmentatiua identificata cum passioe per quam forma dependet à materia acquisita, dependet efficienter à forma quæ est principium augmentationis: ergo supponit priorem naturæ formam existentem, & productam: ergo supponit priorem naturæ actionem qua producit formam: ergo supponit illam actionem existentem in illo instanti, in quo est prior naturæ actione augmentatiua: ergo in eodem instanti temporis est duplex actio: actio productiua formæ, quæ supponitur ad actionem augmentatiuam, & actio augmentatiua, quæ supponit formam à qua procedit, & actionem productiuam formæ: ergo in eodem instanti temporis est duplex actio, quarum vna vt distincta ab alia sufficiens est vt forma producatur, & conseruetur, ex vi cuius supponitur forma conseruata in instanti, in quo exercet actionem nutritiuam prius naturæ quam illam exerceat: ergo per aduentum nouæ dependentiæ à noua parte materiæ, seu nouæ actionis identificatæ cum passioe non definit dependentiæ, seu actio identificata cum passionem, quæ habebat formam, sed coexistit tempore, & est prior naturæ nutritionis, seu actione adueniente.

8 Non vult Arriaga rationem hanc conuincentem esse,

qui ait disp. 1. sect. 4. subsect. 19. posse dici formam in primo instanti augmentationis non dependere à materia noua, sed in sequentibus, in quibus fieri potest attemperatio concursus supradictæ. Vellem ego vt cum rationes has infringere intendit Arriaga fortiores, alias excogitasset, quibus sententiam, quam defendendam suscepit sustinere posset, sed totus in alienis rationibus euerendis, propriam non meditatus, suam sententiam omni fundamento destitutam relinquit. Probo Arriagam nihil prædicto argumento respondisse. Si in primo instanti augmentationis forma informat subiectum, à quo non dependet, cur idem subiectum eodem modo non informabit in secundo instanti absque vlla dependentià? Quæ ratio excogitari potest vt forma in secundo augmentationis instanti perat dependere à subiecto, quod in primo informauit absque illa dependentià? Certè nullam inueniet Arriaga; & ex hoc tantum capite illius solutio reicienda esset, est enim non solum fundamento destituta, verum etiam difficile potuit coherere quæ inuoluit, hanc enim firmam puto esse illationem: Forma in primo instanti, in quo fit nutritio informat nouum subiectum absque vlla dependentià ab illo: ergo in sequentibus poterit informare idem subiectum eodem modo absque illa dependentià: ergo falsa est doctrina, quam Arriaga solutio continet videlicet formam non dependere in primo instanti nutritionis à noua materia acquisita, & dependere in aliis posterioribus instantibus.

9 Sed esto. Non dependeat forma in primo instanti nutritionis à noua materia, neque de hoc instanti agamus. Probo pro instanti sequenti integrum manere argumentum iam factum. In quocunque instanti forma incipiat dependere à noua materia, & concursus attemperare, passio illa quam tu dicis attemperatam, quæ in genere causæ materialis provenit à materia, procedit efficienter à forma: ergo in illo instanti, in quo est, supponit formam priorem naturæ: ergo supponit formam productam: ergo supponit actionem productiuam formæ: ergo in illo instanti datur duplex actio productiua formæ, vna prior illa, quæ supponitur ad actionem illam, per quam forma incipit dependere à nouo subiecto: alia posterior ipsa forma, quæ ab illa procedit, & per quam incipit dependere à nouo subiecto. En nihil præstat solutio Arriagæ, & illius doctrina admissa redit idem omnino argumentum, quod expendebam.

10 Ex eadem doctrina aliud argumentum clarius, & non inefficacius efformo: Augmentatio terminatur ad formam dependentem à subiecto: ergo ex vi augmentationis forma existit, & conseruatur, quia eadem indiuisibili actione qua forma dependet à subiecto in genere causæ materialis, dependet ab efficiente in genere causæ efficientis: sed talis actio, seu augmentatio provenit ab eadem anima: ergo secundum eandem omnino indiuisibilem entitatem provenit ab anima tanquam à principio efficienti, & terminatur ad ipsam tanquam ad effectum, cum secundum hanc opinionem anima sit indiuisibilis, & non possit in illa reperiri aliquid quod se habeat per modum principij, & aliud distinctum, quod se teneat ex parte effectus: ergo eadem met indiuisibilis entitas est causa conseruatiua sui ipsius, & à se ipsa dependet in genere causæ efficientis, quod auctores Philosophiæ abhorrent.

11 Aliter posset prædictis argumentis responderi: Animam per augmentationem vniri nouæ materiæ, non tamen dependere ab illa, sed tantum à materia, quam acquisiuit in primo instanti generationis. In primis hæc solutio adhiberi non potest à Thomistis præcipuis huius sententiæ patronis, quia illi asserunt formas materiales informare subiectum per dependentiam ab illo, ac proinde secundum hanc sententiam implicat formam materiale informare subiectum à quo non dependet.

12 In omnium tandem doctrina solutionem reicio, & primò contra illam obicicio destitutam esse omni fundamentos quia absque illo dicitur formam equi dependere à quibusdam subiecti partibus, ex his quas informat & non ab aliis quas eodem modo informat. Secundò ex hac solutione inferitur deperdit minima parte materiæ ex illis, quas viuens acquisiuit in primo instanti generationis corrupti totam formam viuens squantumvis aliunde augeatur. Sequelam probaui: Perdit quacunque minima parte perditur actio conseruatiua animæ dependenter ab illa materia: ergo saltem deperditur aliquid dependentiæ, quam forma habebat

habebat à materia: sed tantum habebat dependentiam sufficientem ad existendum: ergo quacunque illius parte deperdita, non manet cum dependentia à materia sufficienti ad existendum: ergo neque ipsa forma permanere potest, quia non potest existeret materialis forma deficiente dependentia à materia, maxime cum realiter dependentia à materia & ab efficienti sit eademmet, & nulla possit subrogari loco dependentia deperditæ, quia forma non potest dependere à materia ad quam per nutritionem denuo se extendit; neque aliud sit agens à quo noua descendat actio loco illius, quæ perit corruptione partis materię acquisitæ primo generationis instanti: infertur ergo necessariò animam corrumpendam esse deficiente minima parte materię, ex his quas prima generatione acquisiuit. Quod si aliquis consequens admittat, inferam ex illo nullum sensitiuum perfectum posse per biduum durasse, quod ab ipso deglutiri sensu euidencia non permittet: consequens probatur ex eo quod foetus recenter formatus patitur ab externis ambientibus, ita ut ferè semper sit in continua augmentatione, & diminutione: ergo non poterit primæ suæ conditioni proximus tot acquisisse partes per nutritionem, ut semper diminutio contingat in partibus per augmentationem acquisitis, & non aliquando in partibus materię à prima sua generatione habitis, præcipuè cum nutritio non fiat secundum omnes partes minimas viuents, ut dicebam lib. de generatione, & valde contingens sit, & moraliter necessarium aliquando fieri diminutionem in parte, cui nulla aduenit accretio.

13 Nonnulli arguunt in animis animalium perfectorum à paritate animarum imperfectorum, quæ coniectura sufficiens esset, ut probabiliter posset defendi, si alia nobis efficaciora non suppetere, cum vix vllum pro opposita sententia, quod efficaciam aliam habeat, possit adduci, ut constabit ex postea pro illa adducendis.

14 TERTIA CONCLUSIO. Possibilis est anima vegetatiua, & sensitiua indiuisibilis secundum partes integrantes. Huic conclusioni suffragantur Conimbricenses libro 2. de anima cap. 1. quæst. 8. Vbi problematice defendunt vtramque partem contradictionis circa diuisibilitatem animarum animalium perfectorum, & Arriaga loco supra citato, ubi affirmat non repugnare formam materialem indiuisibilem; & omnes auctores, tenentes brutorum animas indiuisibiles esse. Probo hanc conclusionem ex duobus principiis, quæ propriis locis probaui. Primum est, indiuisibilitatem non repugnare rei materiali. Secundum, formas materiales creati posse quibus positis sic arguo: Indiuisibilitas non repugnat animæ vegetatiuæ, aut sensitiuæ ratione corporeitatis, nec ratione nutritionis, quia hæc fieri potest absque vlla dependentia formæ à materia, quæ diuisibilitatem arguit in brutis, quæ de facto dantur: ergo ex nullo capite repugnat materialis anima indiuisibilis integraliter.

15 Refert Hurtadus disp. 2. sect. 4. num. 110. ex Aristotele arietem abscisso capite aliquantulum progressiue ambulasse, & ex Galeno victimas extractis extis aliquando ambulasse progressiue, & ex nostro Iosepho de Acoſta lib. 5. hist. Indicæ. cap. 2. Hispanum quendam extracto corde à barbaris, ut immolaretur falsis Diis, dixisse, *Caualleros muertos me han*: qui calus non probant animarum diuisibilitatem, ut patet in homine, qui in his casibus non visa fuerunt signa animæ existentis in vtraque parte diuisa, sed tantum in altera earum, quod fieri potuit in breuissimo tempore, quo anima conseruari potuit sine deorganizatione requisita in omnibus partibus.

16 Obiiciunt Thomistæ: Si equus percutiatur in capite, pedes mouet; ergo est eadem anima in pede & in capite. Resp. in pede & in capite esse eandem animam secundum diuersas partes diuisibiles, quod sufficit, ut percusso capite equus pedes moueat, quia sensatio in capite producta immediate, vel medijs speciebus producit internā leuationem, quæ potentia appetitiua actum elicit imperantem motum in toto corpore, in fauorem partis læsæ & omnium partium, quibus periculum imminet damni, quod illarum compars patitur, quia partes eiusdem animæ connexionem habent, & quilibet petit aliarum existentia ad sui conseruationem. Adde quod si hoc argumentum alicuius esset momenti, eodem modo probaret animas imperfectorum animalium esse indiuisibiles, quia si pede offendas caudam colubri, statim caput erigit in defensionem caudæ.

17 Obiicies secundò: Lacerta diuisa per aliquod tempus continet vitam in vtraque parte diuisa; equus verò neque

per instans vitam potest retinere in duplici parte diuisa: ergo ex eo est, quod lacerta diuisibili potita est anima, & equus indiuisibili gaudet. Respondeo negando consequentiam: Disparitas prouenit non ex diuisibilitate, aut indiuisibilitate animarum, sed ex eo quod anima equina magis dependeat à deorganizatione partium heterogenerum, quam animæ aliorum animalium perfectorum. Hæc de causa partes animæ, quæ minorem habent deorganizationem facilius diuisæque diuisæ conseruantur, & partes animæ maiorem habentis deorganizationem siue peritioris siue imperfectioris, neque breuissima temporis mensura possunt non vnitz conseruari.

PUNCTVM VII.

An anima diuisibiles partes habeant heterogeneas intrinsecè, an tantum extrinsecè.

Viuentium animas in diuersis materię partibus diuersa obire numera certum est, animal enim oculis videt, & auribus audit, quæ sunt partes diuersæ, in quibus habet operationes diuersas exercet anima, in viuentibus materialibus, quæ statim habere formas diuisibiles secundum diuersas partes eiusdem animæ; pars enim, quæ in oculis visionem efficit, distinguitur à parte quæ in organo auditus auditionem producit: inquirimus, an hæc diuersæ operationes proueniant non tantum à diuersis partibus animæ quæ ratione diuersorum instrumentorum, seu diuersarum deorganizationum tenentium se ex parte materię diuersa eliciant operationes, etiam si omnino eandem virtutem intrinsecam habeant, & pars existens in oculis possit auditionem elicere si haberet deorganizationem requisitam ad hanc sensationem, cui deorganizationi per se non repugnat, quia eadem quæ est in organo visus, potuit esse in organo auditus, ita ut intrinsecè pars formæ existentis in hac parte sit homogenea cum parte existente in alia: verò pars formæ, quæ est in organo auditus illam deorganizationem petat cum qua potest elicere operationem, non verò cum alia organizatione operationem distinctam ab ea quam exercet in hac parte subiecti, ut intrinsecè hæc pars formæ sit heterogenea cum alia?

Propter hanc diuersam operationem non tantum in viuentibus materialibus, verum etiam in homine diuersas partes animæ constituebatur Plato relatus à Galeno; & de placitis ponebat enim animam concupiscibilem, quam dicebat esse in hepate; & animam irascibilem in corde cuius munus est cohibere concupiscibilem: tertiam rationalem constituebatur in cerebro, quasi in arce ad regendum gubernandum, & imperandum. Eundem errorem est amplexatus Pythagoras, diuersum tamen in loquendi modo, dicebat enim omnes tres animas totales esse in homine assignatas: Plato autem non tres animas, sed vnam ex tribus partialibus constitutam assignabat. Referuntur etiam Aristoteli, 3. de anima, text. 90. Cic. 1. Tuscul. Platonem sequutus cum Galeno, Tertull. in tom. 3. lib. de anima, c. 24. & lib. de resurrectione carnis: Philo Iud. lib. de eo quod deterius patiori insidari solet & lib. 1. Alleg. pag. 36. & lib. 2. pag. 14. Simon Porcius lib. de m. humana, cap. 20. Fundamentum quo hæc sententia tribuitur Aristoteli, est, quia secundum eum anima tantum est in corde, quod insinuat lib. de comuni animalium motu. in fine, ubi hæc habet: *Quotivis non est opus in quocumque membro anima inesse, sed cum in certo principio consistat, reliqua membra, quod illi adiungantur vniu, utque officia per naturam obeunt sua.*

Fuit alia sententia quæ ponebat vnam animam in corpore totum informantem, præter illam tamen diuersas partiales animas in partibus heterogeneis. Hanc opinionem quam plures Medici sunt sequeuti, quos refert Nifus text. 78. eam tenet Antonius Andreas 7. Metaph. q. 17. Venerus 2. de anima, q. 32.

Tertia sententia probata inter auctores classici docet viuentibus materialibus dari vnicam animam constantem partibus intrinsecè heterogeneis. Ex antiquis tenent hanc sententiam Ioannes Andr. 7. Metaph. q. 17. Paul. Vener. lib. 2. de anima cap. 5. Neph. lib. 1. de generat. text. 26. ex modernis illam tenet Hurt. disp. 2. sect. 5. sub 3. qui ait eam tradidisse Magnum Suarez disput. 15. Metaph. S. 8. num. 21. Ego tamen hanc sect. video num. 20. clausam, nec in illa verbum de hac re inuenio. Eundem refert disp. 46. sect. 1.

41. Vbi de intentione qualitatis accidentalis, non de diuisione substantialis animæ agit sapientissimus Pater. Eundem pro hac sententia refert Arriaga disp. 15. Methaph. sect. 10. n. 3. vbi vix rationem dubitandi attigit, tam tamen passim tradit eadem sect. 10. n. 32. & n. 40. ipsamque fusè docet grauissimus Pater lib. 1. de anima c. 4. n. 3. & eodem lib. cap. 2. n. 19. Eandem sententiam tradit Pereira lib. 6. Philosophiæ cap. 6.

5 Quarta sententia communis inter Thomistas tenet partes animæ diuisibiles in omnibus viuentibus esse homogeneas. Ita tenet Bañes lib. 1. de generat. q. 7. art. 4. Sor. 5. Physic. q. 3. ad 8. Caiet. apud Conimbr. 1. de generat. cap. 4. q. 22. art. 2. quibus adde Arriagam disp. 1. sect. 6. subsect. 2. num. 404.

6 Dicendum est partes viuentis ex se non esse intrinsecè heterogeneas: sed eadem partem quæ est in capite potuisset esse in pede, & partem animæ quæ est in ossibus, & tantum nutritionem exerceret, potuisset in carne sensationem elicere. Hanc conclusionem probabo. Si pars animæ quæ os constituit tantum haberet virtutem nutritiuam, & pars quæ carnem componit, nutritiuam, & sensitiuam, forma carnis, & forma ossis distinguerentur in specie: ergo non possent vniri. Responderetur communiter distinguere specie incompletâ, non tamen specie completâ, quid autem sit specie incompletâ differre rectè explicat Hurtad. sect. 5. n. 116. ait enim has partes dici distinguere specie incompletâ, non quia absolute non sunt diuersarum specierum, eodem enim modo differunt, ac equus & leo, sed quia sunt entitates incompletæ per se ordinatæ ad aliam tertiam speciem componendam, quod refutat, quia vna sine alia subsistere non valeat: equus verò & leo specie completâ differre dicuntur, quia equus potest existere sine leone, & leo sine equo, neque inter se ordinantur ad tertiam entitatem componendam vt oculis sentimus.

7 Contra hanc solutionem sic insurgo: sanguis ordinatur ad componendam speciem viuentis sensitiui simul cum carne: ergo quantumuis specie distinguatur à carne diceretur distinguere specie incompletâ: ergo etiam non informetur anima & specie differat à carne animata, poterit cum carne vniri, quod omnes negant: ergo non potest dari vnio inter entitates species distinctas, etiam si sint incompletæ, & ordinatæ ad componendam aliam tertiam speciem.

8 Respondent alij partem animæ exigentem temperamentum ossis sensitiuam esse, & virtutem habere elicitiuam sensationis, non posse tamen in osse ad actum secundum reduci ex defectu temperamenti. Hanc solutionem facilius reicio. Nulla forma est cui repugnet temperamentum requisitum ad operationes, quas potest elicere: ergo si pars formæ quæ est in osse virtutem habet sentiendi, capax est temperamenti, cum quo potest fieri sensatio, & non exigit temperamentum cum quo sensationem fieri repugnat: ergo dicendum est partem animæ existentem in osse indifferentem esse ad temperamentum carnis, in quo potest fieri sensatio, & determinatè non exigere temperamentum ossis, sub quo sensatio repugnat, vel tenendum talem partem animæ virtutem non habere ad sensationem elicendam.

9 Secundò eandem conclusionem probabo: diuersitas operationum in diuersis partibus materiæ potest oriri ex diuersis temperamentis, quibus partes animæ eiusdem rationis diuersas exercent operationes, & hæc temperamenta diuersa possunt provenire ab anima habente partes eiusdem omnino rationis & substantialiter homogeneas: ergo ad diuersas obeundas actiones in diuersis partibus materiæ non requiruntur partes diuersæ seu heterogeneæ. Maior est certas, & euidenter probatur in homine, in quo eadem indiuisibilis anima in diuersis materiæ partibus diuersas exercent operationes ratione diuersorum temperamentorum: ergo potiori iure diuersæ partes animæ eiusdem rationis poterunt ratione diuersorum temperamentorum diuersa obire munera. Tota argumenti difficultas est in minori propositione, quam sic probabo: Potest anima habens partes homogeneas exigere inter has distribui temperamenta diuersa, & vnâ esse in pede, & aliam esse in capite: ergo possunt diuersa temperamenta oriri ab anima habente partes homogeneas. Antecedens probabo: Anima omnino indiuisibilis petit subiecti diuersa temperamenta: ergo anima diuisibilis in partes homogeneas potest petere temperamenta heterogenea, & habere partes distribu-

tas per caput, corpus, & pedes, licet nulla pars ex se magis petat esse in pede, quàm in capite.

Eandem conclusionem clariùs confirmo in sententia, quæ constituit partes heterogeneas. Plures partes sunt homogeneæ inter se, caro enim, quæ est facile eiusdem omnino rationis est cum carne quæ est in pede, & caro quæ est in brachio detro eiusdem rationis est cum carne quæ est in brachio sinistro: ergo ex se caro quæ est in facie potuit esse in pede, & è contrariis similiter caro quæ est in brachio dextro potuit esse in sinistro: ergo vtrique pars carnis faciei & pedis potuit ex se esse in pede, & vtrique pars carnis brachij dextri & sinistri potuit esse in sinistro brachio, & in dextro: nihilominus anima petit vt vna sit in facie, alia in pede: vna in brachio sinistro, alia in dextro ergo eadem anima potest pro his partibus carnis eiusdem omnino rationis exigere diuersam deorganizationem, & exigere vt vna sit in dextro brachio, & alia in sinistro, licet vtraque in sinistro, vel in dextro esse possit: ergo pro omnibus, etiam si omnes sint eiusdem rationis potest diuersa exigere temperamenta ergo diuersa temperamenta possunt provenire ab anima habente partes eiusdem omnino rationis.

Contra hunc dicendi modum acriter insurgit Hurtad. hac ratione: Nihil potest exigere totum quod non exigit ratione suarum partium, sed in nostra sententia nulla pars petit esse in oculo neque in osse: ergo nihil est in forma totali ratione cuius possit petere vt vna pars sit in oculo, alia in osse. Antequam hoc argumentum dissoluam, Hurtadum premo ratione suprâ positâ de partibus homogeneis vtriusque brachij, quas forma petit, vnâ in brachio dextro, & aliam in sinistro. Rationem hanc præuidit Hurtad. n. 159. & illi respondet, quod si dispositiones vtriusque brachij sint eiusdem rationis, partes inter se non differre, formam verò quæ petit duo brachia, petit duas partes substantiæ distributas in duobus brachiis, & alteram huic brachio desigui, alteram illi, pendere ex arbitrio Dei. Contrâ tamen, quia nulla est pars in illa forma, quæ petat duo brachia, neque quæ petat brachium sinistrum: pars enim, quæ est in brachio dextro non petit brachium sinistrum, est enim contenta brachio dextro, pars quæ est in sinistro est eiusdem rationis, cum parte quæ est in dextro, & æquè contenta esset in brachio dextro, ac est in sinistro: ergo nulla pars datur, quæ ex se petat brachium sinistrum: ergo aliquid petit forma quod non petat ratione alicuius partis determinatæ. Videat Hurtad. quid respondeat, & solutionem, quam sibi quæsierit argumento contra nos factò applicet.

Dum tamen Hurtadus prædicto argumento pro vtraque sententia solutionem querit, placet respondere pro sententia, quam defendendam suscepimus. Concedo nihil posse agere totum, quod non exigit ratione partium, & assero formam equi totalem, exigere temperamentum capitis, cordis, manuum, &c. adæquatè ratione omnium partium collectiue sumptarum, inadæquatè ratione cuiuslibet partis contentæ in totali animo. Explico verbum *inadæquatè*, quod non se tenet ex parte termini, sed ex parte exigentiæ, quælibet enim pars petit totum temperamentum equi, non verò capitis magis, quàm pedis, dicitur tamen petere inadæquatè, quia non tantum hæc pars, quæ est in capite, neque pars, quæ est in pede petit hoc temperamentum: sed omnes temperamentum adæquatè exigunt, ex quarum partialibus exigentiis fit vna totalis, & adæquata exigentia temperamenti conueniens toti, animæ videlicet intuitu, cuius totum temperamentum adæquatè capitis, cordis, &c. datur equo.

Restat modò explicare, quomodo pars, quæ est in capite petat totum temperamentum equi, & pars quæ est in pede eodem modo petat idem temperamentum. Quod sic intellige. Pars quæ est in capite petit totum temperamentum non sibi dandum adæquatè; sed distribuendum inter ipsam, & alias compartes, quibus petit vniri, sibi que tantum petit partem quandam temperamenti, & hanc non determinatam, neque potius hanc quàm illam, sed vagè & indeterminatè partem quandam temperamenti ex illis, quæ in temperamento includuntur. Ecce tibi pars equi, quæ est in capite pro se non magis petit temperamentum capitis, quàm pedis: petit tamen temperamentum pedis, & capitis, & aliarum partium pro se & pro aliis partibus, inter quas est distribuendum temperamentum adæquatè, in qua distributione hanc partem animæ sortiri potius

potius temperamentum pedis, quam capitis non prouenit ex exigetia animæ, sed ex arbitrio Dei constituentis illam sub temperamento pedis, & non sub temperamento capitis, sicut ex voluntate artificis statuat elaborantis prouenit vt ex hac parte ligni caput statuat, potius quam pedes fingat. Quod si partes omnes formæ equi essent cum deorganizatione pedis omnes & illarum quolibet essent violentæ, quia licet hæc formæ portio (idem de aliis dico) esset contenta deorganizatione pedis, dum tota deorganizatio cõpositi esset distributa inter omnes partes; dum tamen ita non distribuitur, sub quacunque deorganizatione erit violenta, quia non tribuitur sibi, & aliis comparibus tota deorganizatio, quam exigit pro se & pro aliis.

14 Obiicit Hurtadus hanc exigentiam à nobis partibus assignatam temperamentum adæquati pro se, & pro aliis, & inter omnes distribuendi, non esse appetitus innati sed elicit, quia per appetitum innatum entitas tantum petit pro se, non pro aliis, quia appetitus innatus est propensio in proprium bonum, ac proinde in temperamentum proprium, & non in alienum. Respondeo negando antecedens. Ad confirmationem dico formam & partem illius quolibet habere appetitum innatum ad totum illud quod necessarium est propriæ conseruationi, siue tribuendum eidem entitati, siue aliis; sic pars pedis habet appetitum innatum ad conseruationem capitis capiti tribuendam, quia illa indiget vt conseruetur, & eadem ratione quolibet pars formæ habet appetitum ad totum temperamentum adæquatum heterogeneum dandum, non solum sibi; sed sibi, & aliis comparibus, quia toto illo indiget, vt naturaliter conseruetur, quia etsi vna pars ab alia distinguatur, omnes pertinent ad idem totum, & ita mutuo sibi petunt necessaria ad conseruationem totius, quod componere intendunt, & ad propriam ipsarum conseruationem: & à priori proba partem corporis posse petere temperamentum pro alia. Pars capitis petit vnionem cum parte habente temperamentum cordis: ergo petit temperamentum cordis pro alia parte, quia petere partem habentem temperamentum cordis est petere illam partem, quæ habet temperamentum, & petere temperamentum efficiens eandem partem: ergo pars quæ petit aliam partem habentem temperamentum cordis, petit aliam partem, & temperamentum illam efficiens: ergo pars capitis etiam si heterogenea sit petit temperamentum pro alia parte.

15 Dices partem capitis tantum petere vnionem ad partem exigentem temperamentum cordis, non verò ipsum temperamentum, neque immediatè petere partem cordis habere temperamentum cordis. Contrà, pars capitis non solum indiget vnione ad partem cordis, sed indiget vnione ad partem cordis, prout habentem temperamentum cordis: ergo exigit partem cordis, prout habentem tale temperamentum: ergo exigit partem & temperamentum.

16 Hæc doctrina posita friget aliud argumentum, quod adducit Hurtadus subsect. s. videlicet inferri ex nostra sententia non esse fundamentum ad constituendum discrimen inter leonem, & equum, quia sicut nos dicimus oculos, & manus esse eiusdem rationis, etsi habeant diuersas dispositiones; ita poterit dici leonem, & equum eiusdem esse rationis, etsi habeant diuersas operationes, & dispositiones diuersas. Ex doctrina tradita facile respondeo, maximum esse fundamentum ad discriminandum hominem à leone, & longum discrimen inter partes eiusdem corporis, & indiuidua distincta. Quia diuersitas substantiæ non est sumenda ex diuersitate, quam habet, accidentium, sed ex diuersitate quam petit: & partes eiusdem formæ, etsi diuersa temperamenta habeant inadæquata, possunt omnes temperamentum adæquatum petere, & quolibet temperamentum inadæquatum sibi dandum, & aliud inadæquatum dandum aliis comparibus, pro quibus illud petit, quia cum vna pars dependeat à conseruatione alterius, & à conseruatione totius, petit temperamentum pro alia parte: Equus verò, non solum habet diuersas dispositiones cum leone; sed etiam illas diuersas exigit, quia illis non indiget, neque pro se, vel leone, quia cum non pertineat ad quoddam totum cum leone, neque conseruatio formæ equi dependeat à conseruatione formæ leonis, neutra harum formarum petit pro altera; sed quolibet pro se petit id tantum quod sibi necessarium est.

17 Ex his inferes quod si à materia separet formam equelli habentis v.g. viginti partes substantiæ, quæ in materia distributæ erant cum deorganizatione adæquata, & similes partes formam aliam equi habentem quadraginta partes, quæ similiter distributæ erant in materia habente deorganizationem adæquatam equi, & ab hac demas viginti partes quæ essent cum deorganizatione capitis, brachiorum, & pectoris, tunc æquè integram permanfuram hanc formam à qua viginti partes erant ablata, & totidem retinebat cum illa forma equelli à qua nulla pars erat ablata, & æquè posse integrum equum componi ex his viginti partibus formæ quæ quadraginta habuerat & ex aliis viginti alterius formæ quæ tantum habuit viginti, quas modo retinet, quia in vtraque forma totidem essent partes, & in neutra illarum esset pars, quæ posset dici caput, vel pes, quia quolibet est indifferens ad diuersa temperamenta, à quibus hanc sumit deorganizationem. Si autem hæc mutilatio partium fieret in forma equi materiæ vnita forma illa à qua viginti partes essent ablatae, & totidem integram deorganizationem, quam exigerat, quam haberet alia equelli forma, quæ integra diceretur non propter maiorem entitatem substantialem quam in se intrinsecè haberet, sed propter deorganizationem, quam diceret, quæ alia careret.

18 Hoc genus exigentiæ partium tenentur concedere auctores vtriusque sententiæ, quia argumentum prædictum, vt probaui, eodem modo premit vtroque nostram opinionem tenentes, in omnibus partibus animæ, & sectantes oppositam partium heterogenearum, in partibus homogeneis carnis, quarum vna est in facie, alia in pede: vna in brachio dextro, alia in sinistro. Et similiter in partibus homogeneis ossium, ex quibus diuersa construuntur ossa, & hoc ad exigentiam animæ, licet nulla pars carnis neque ossis ex homogeneis petat magis esse in brachio dextro, quam in sinistro: in hoc osse, quam in illo.

19 Neque obicere poteris nos parum philosophicè procedere, quia recurrimus ad Deum, vt determinaret hanc partem formæ ad hoc temperamentum, potius quam ad illud: sicut enim aduersarij ad Deum recurrere debent, vt inter partes homogeneas determinet quæ futura sit in brachio dextro, & quæ in sinistro, nos qui asserimus partes omnes homogeneas esse, pro omnibus ad Deum confugimus. Deinde omnes debent concedere Deum pro sua voluntate determinare, vt hæc materiæ pars sit potius sub hac parte formæ quam sub alia, vt producatur hæc pars cordis inter innumeras, quæ erant in statu possibilitatis, & æque poterant produci: ergo non est cur in præsentī casu recusemus eodem modo hanc partium determinationem sub diuersis temperamentis Deo tribuere.

20 Contra hanc sententiam hoc modo explicatam etiam si nihil momenti posse argui, solui enim inter illam explicandam præcipuam difficultatem, quomodo scilicet petantur in viuenti diuersa temperamenta, etiam quilibet pars sit contenta quolibet temperamento ex his quæ sub tota forma viuents reperiuntur, neque in errore Pythagoræ, & Platonis impugnando est cur immoremur: est enim omni destitutus fundamentum, & ex illo plurima absurda inferuntur, scilicet hominem non esse vnum viuens, sed plura: esse rationalem secundum partem cerebri, & irrationalem secundum alias partes, aliæque similia deliriosa sententia verò quæ supra formam totalem plures alias partiales constituat pro diuersis partibus heterogeneis ex eo sufficienter impugnatur, quia pluralitas illa formarum partialium necessaria non est ad constituendum viuens heterogeneum, neque possibilis, quia ex illa inferret eandem materiam habere duplicem formam, quod naturaliter contingere non potest.

21 Alij frigide obiciunt: Non est necessitas constituendi partes animæ homogeneas, ergo non sunt constituende. Argumentum retorqueo: non est necessitas constituendi partes animæ heterogeneas: ergo non sunt constituende. Fortius te premit mea illatio, quam me tua. Si enim ego multiplico virtutem sensitiuam in osse quam tu negas, multiplico existentiam virtutis, quam agnosco, & scio certè dari in aliis indiuiduis, tu multiplicas entitatem quam nescis de facto dari in rerum natura, & adhuc dubium est an possibilis sit, videlicet partem formæ habentem virtutem eliciendi tantum actum vegetandi, vnitam parti formæ habenti virtutem vegetandi, & sentiendi.

22 Non egi specialiter de vnione, de qua eadem est ratio, ac de aliis formis, abs re enim daretur vnio heterogenea in ordine ad extrema homogenea, quæ possunt diuersam deorganizationem exigere in diuersis partibus subiecti. Qui vero deorganizationem accidentalem existimant oriri in compositis habentibus animas diuisibiles ex dissimilitudine intrinsecâ partium, possent hanc dissimilitudinem assignare in modo vnionis humanæ quæ posset constare partibus heterogeneis, etiamsi vnum extremum esset indiuisibile, & alterum partes homogeneas haberet, etsi enim diuersitas extremorum diuersitatem arguit vnionis; & diuersitas rei diuersitatem modi, non tamen identitatis, aut similitudo extremorum arguit identitatem, aut similitudinem rei, quando diuersitas modi potest sumi ex alio capite à priori, vel à posteriori, sicut potest desumi in modo vnionis heterogeneæ hominis, qui diuersas dispositiones exigit in diuersis partibus subiecti, ex quo inferre possunt partes illius esse heterogeneas, qui id inferunt ex eodem principio in partibus formæ diuisibilis. Ex his solutio patet ad illa, quæ contra hanc conclusionem adducit Hurtadus, qui oppositam defendit disput. 2. sect. 8. Quia modus non tantum specificatur à suis extremis, sed à causâ efficienti cum omnibus conditionibus, quæ se tenent ex parte eius principij, à qua potest produci cum partibus heterogeneis, etiamsi extrema homogenea sint, imò potest dici secundum rationem heterogeneam specificari ab extremis homogeneis, & ab ipsa indiuisibili anima exigente vnionem diuersam in cerebro, & in pede propter diuersas operationes, quas exigit exercere in partibus diuersis. Ad exemplum quod adducit Hurtadus de actione, quæ semper est eadem, eum terminis, & principium efficiens sunt idem, respondeo, Existente principio, & termino eiusdem rationis actionem semper esse eiusdem rationis, quia nullum est caput à priori, neque à posteriori, ex quo diuersificetur actio. In nostro autem casu dispositiones à posteriori arguere possunt diuersitatem partium vnionis, & possunt esse conditiones, vt iuxta diuersitatem illarum diuersæ partes vnionis ab eodem agente introducantur.

23 Vltimò aduerte me in hoc puncto tantum dixisse partes viuents ex se non esse intrinsecè heterogeneas; sed eandem partem quæ est in capite potuisse esse in pede, & partem quæ in osse tantum nutritionem exercet potuisse sensationem elicere, non tamen dixi omnes partes esse æquales in perfectione, & omnino similes. Existimo enim posse non esse intrinsecè heterogeneas, neque ex se determinatas ad caput vel pedem constituendum, nihilominus non esse æquales, sicut de gradibus qualitatis dixi in generatione non esse subordinatos, posse tamen esse inæquales perfectione. Sic similiter in partibus animæ, etiamsi non sint quasi subordinatæ seu determinatæ ex se ad pedem potius quàm ad caput constituendum, potest de illis disputari, an sint æquales perfectione, sicut disputatur de duobus indiuiduis adæquatis eiusdem speciei, an possit esse vnum perfectius alio, etiamsi vtrumque habeat eandem heterogeneitatem; quodlibet enim habet deorganizationem capitis, peccioris, brachiorum, &c. & nihilominus plures afferunt vnum esse perfectius alio, quia excessus perfectionis non necessarîo consistit in eo quod vnum indiuiduum habeat diuersum ordinem partium, ac habet aliud, sed potest in alia ratione consistere; sic similiter de indiuiduis inadæquatis philosophari potest; cum enim dicitur vnum indiuiduum, equum videlicet A, esse perfectiorem equo B, dicitur partem cordis equi A, esse perfectiorem partem cordis equi B, & tamen vtraque est pars cordis, ergo in eodem indiuiduo licet illius partes non sint partes cordis vel pedis necessarîo potest esse vna perfectior aliâ: quid tamen in hac re dicendum sit, constabit ex dicendis de indiuiduis adæquatis; eadem enim ratione philosophandum puto de indiuiduis inadæquatis, seu de partibus eiusdem indiuidui.

PUNCTUM VIII.

An omnia indiuidua eiusdem speciei sint perfectione æqualia & æque similia.

§. I.

Referuntur varia sententia & nonnulla prænarrantur.

1 Prima sententia tenet omnes animas eiusdem speciei esse omnino inæquales. Hanc tenent Caietanus 1. p.

q. 85. art. 7. Bañes lib. 2. de anima, Rub. tract. de pluralitate animarum. Secunda sententia affirmat animas eiusdem speciei non posse esse inæquales. Hanc tenent Fonseca 5. Metaph. c. 28. q. 16. sect. 2. & 3. P. Toletus 3. de anima q. 28. P. Hurtad. disp. 2. sect. 7.

Notauit disputans de æqualitate, & subordinatione graduum in genere, aliud esse duo esse similia, aliud æqualia; & differentiam inter vtramque relationem explicui, quæ in præsentia quæstione locum inuenit. Notauit etiam non esse disputandum, An gradus secundum vltimam differentiam indiuidualem essent æquales vel inæquales, implicat enim secundum hanc non esse omnino oppositos, & aliquos inter se habere maiorem conuenientiam, quàm cum aliis, quia differentia indiuidualis est vltima ratio disconuenientiæ, in qua indiuiduum, neque minimam conuenientiam habet cum aliquo, quamcumque enim in indiuiduo reperit, à differentia indiuiduali præcindimus, vt remaneat ipsa absque vlla conuenientia, & omnino opposita, & posset indiuiduum constituere vltimò differens à quocumque non ipso. Hoc posito, adhuc materiam disputatu dignam relinqui loco citato notabam: An videlicet intra eandem speciem humanam vel equinam sint aliqua indiuidua aliis perfectiora: aliqua quæ maiorem conuenientiam habeant cum aliquibus indiuiduis suæ speciei quàm cum aliis; quæ conuenientia indiuidualis esse non potest propter rationem dictam; neque specifica, quia indiuidua eiusdem speciei prædicatum participant omnibus commune, idemque indiuisibile saltem ex modo concipiendi.

Moneo insuper Doctores asserentes indiuidua eiusdem speciei esse omnino æqualia secundum omnia prædicata metaphysica teneri asserere physice, & à parte rei Petrum & Ioannem esse omnino æquales in perfectione absque vilo excessu vnus ad alium, quia si quem excessum intrinsecum physicum haberet illorum aliquis, talis excessus metaphysice præcindi posset, & in illo indiuiduo daretur aliud quod prædicatum excedens perfectionem alicuius prædicati metaphysici, quod in alio indiuiduo reperiretur: nihil enim est physicum speciale in entitate quod metaphysice præcindi nequeat, ac proinde hæc est optima illatio. Nihil possumus concipere in hac entitate physica diuidentes omnia prædicata metaphysica illius, cui non correspondeat in alia aliud prædicatum æque perfectum comparando singula singulis, ergo nihil est in hac entitate, ratione cuius physice excedat aliam.

Si vero comparantes singula prædicata metaphysica huius indiuidui (idem dicerem, huius speciei cum prædicatis alterius speciei) cum singulis prædicatis aliis indiuidui, reperiamus aliquod prædicatum in hoc indiuiduo excedens perfectionem aliis prædicati illi respondentis ex parte aliis indiuidui, & non reperiamus ex parte indiuidui excessum in perfectione prædicati prædicti prædicatum aliud quo excedat prædicatū illi respondens in indiuiduo, quod iam ratione vnus prædicati illud excederat: illud indiuiduum cuius vnum prædicatum metaphysicum excedit prædicatum sibi correspondens, etiamsi secundum alia prædicata sit æquale, physice & à parte rei secundum omnem suam entitatem est inæquale & perfectius altero. Ratio est, quia physice loquendo omnia prædicata sunt identificata: ergo implicat dari excessum in indiuiduo ratione alicuius prædicati, qui non sit ratione omnium, quibus à parte rei omnes omnino proprietates debent conuenire; sed posito excessu metaphysico vnus prædicati huius indiuidui in ordine ad prædicatum illi correspondens in alio indiuiduo, quod ratione nullius prædicati mutuo excedit indiuiduum excedens in vno prædicato, datur in tali indiuiduo excessus physicus: quia si omnia physice eodem modo se haberent in vtroque indiuiduo, non esset fundamentum ad talem excessum metaphysicum reperendum: ergo hic excessus est secundum omnem entitatem.

Occurrit: Quia prædicata sunt omnino idem à parte rei si hæc entitas excedit aliam in nullo excedentem in aliquo prædicato, physice tota entitas est perfectior aliâ: ergo eodem modo ex identitate prædicatorum, posita æqualitate inter duo prædicata metaphysica harum entitatum physice vtramque entitatem, & omnia prædicata æqualitatem habere inferendum erit: ergo positis duabus entitatibus metaphysice æqualibus in prædicato specifico, & inæqualibus in alio prædicato, hæ duæ entitates physice secundum se totas erunt æquales, quod repugnat. Respondeo, malam esse illationem & rationem disparem, quam exhibeo. Posita inæqualitate

inæqualitate in aliquo prædicato inter duas entitates si reliqua prædicata æqualia apprehendantur, æqualitas illa non se tenet ex parte obiecti, sed tantum est præcisiua ex parte intellectus, qui negatiue concipit illa prædicata æqualia, quia non concipit inæqualitatem, quam in se habent, quæ æqualitas negatiua tantum est respectu intellectus, ex vi huius cognitionis præcisiuæ, & non refunditur in obiectum, sicut vnitas virtualis, quæ apprehenditur ex eo quod intellectu non apprehendat multipliciter, & distinctionem indiuiduorum, non facit obiectum in se vnum; inæqualitas verò, quam intellectus concipit inter duo prædicata, tenet se ex parte obiecti non tantum illius cognitionis, quæ formaliter illa prædicata inæqualia apprehenduntur, sed etiam ex parte obiecti cognitionis, quæ intellectus præcisiue alia prædicata eorundem indiuiduorum æqualia apprehendit, quia iuxta nostra principia quidquid est in tota entitate physica, se tenet ex parte obiecti cognitionis attingentis quodlibet prædicatum metaphysicum illius. Neque intellectus potest in his entitatibus aliam æqualitatem præter hanc negatiuam prouenientem ex præcissione inæqualitatis, quam habet obiectum, apprehendere, quia ubi nulla est physica æqualitas non potest metaphysicè sine fictione concipi, prædicata enim quæ metaphysicè præscinduntur, physicè entitatem comitantur.

6 Alio modo potest fieri comparatio metaphysica prædicatorum duarum entitatum, ut mutuo se excedant, & excedantur secundum diuersa prædicata, sicuti potest comparari species expressa sensus externi, cum præsentia Angeli, ubi attenda ratione vitæ perfectior est externa sensatio quam præsentia Angeli: inspecta tamen ratione spiritualitatis, perfectior est Angelica præsentia externa sensatione: Exemplum adhibeo in rebus specie distinctis, ut claris mōitrem prædicata excessu, & excedentia. Rursus hic mutui excessus potest esse æquiualeus, ita ut tantum excedat hæc entitas illam, quantum hanc eandem excedit illa, & tunc physicè nullus erit excessus, & in cognitionibus, ratione quarum dicitur hæc entitas excedere alteram in hoc prædicato excessus non se tenebit ex parte obiecti; sed ex parte cognitionis præscindentis ab alia ratione, quæ excessus apparet huius prædicati ad æqualitatem reduci, ita ut nullus detur excessus in obiecto; & illud, quod apprehenditur excedens ex parte modi, definit esse excedens ex parte obiecti, & nullam rationem habet excedentis. Quod si excessus mutui non compensentur, sed vnus sit maior alio, entitas illa, in qua maior excessus metaphysicus reperitur physicè secundum totam suam entitatem, aliam excedet, illiusque excessus, non solum erit in cognitione metaphysicè præscidente ex parte modi, sed etiam ex parte obiecti: excessus verò metaphysicus rei quæ minorem habet excessum, erit tantum ex parte modi seu ex parte cognitionis præscindentis à ratione illa qua exceditur, & constituitur excessum prædicatum illud, quod apparet excedens.

7 Ex his infero pro mea quæstione Petrum & Ioannem physicè secundum totam suam entitatem esse inæquales, si infra differentiam specificam inueniamus aliquod prædicatum quo Ioannes excedat Petrum nullo reperto quo Petrus excedat Ioannem, vel quo tantum illud excedat quanti exceditur: Et physicè Petrum & Ioannem esse omnino æquales in perfectione, si in omnibus prædicatis quæ sunt infra differentiam specificam nullum reperiatur excedens aliud sibi correspondens in altero indiuiduo, vel si aliquod reperiatur in Petro excedens aliud sibi in Ioanne respondens, reperiatur in Ioanne aliud quo æquè excedat Petrum secundum illud, ac secundum aliud exceditur: ita ut omnibus pensatis compensetur excessus prædicatorum mutuo, & æquè se extendentium. His positis procedit quæstio quomodo res se habeat in indiuiduis eiusdem speciei.

§. II.

An prædicata superiora duarum specierum, & prædicata duorum indiuiduorum possint esse mutuo similia & dissimilia, æqualia & inæqualia.

8 Hæc res posse esse reciproce similes secundum vnum gradum, & dissimiles secundum alium; equus enim animal hinnibile est similis homini, animali rationali, in prædica-

to animalis, & dissimilis in prædicato rationalis: quod probatur, quia si in homine distingueretur prædicatum animalis à prædicato rationalis, & similiter in equo prædicatum animalis à prædicato hinnibilis, prædicata animalis essent similia & prædicata rationalis & hinnibilis dissimilia: ergo etiam hæc prædicata inter se sint identificata, eandem similitudinem, & dissimilitudinem habebunt.

Aliter philosophandum putat idem Hurtadus sub. 4. de æqualitate & inæqualitate: censet enim duo indiuidua eiusdem speciei non posse esse inæqualia in differentia indiuiduali, & æqualia in differentia specifica, quod sic probat: Ratio specifica & indiuidualis est eadem: ergo æqualitas conueniens rationi specificæ debet conuenire rationi indiuiduali, & contrariis eadem æqualitas conueniret, & non conueniret eidem entitati, quia conueniret rationi specificæ: non verò indiuiduali identificatæ cum ratione specifica.

Ego percipere non valeo, quomodo hæc confundat Hurtadus: si enim ex identitate prædicatorum inferat utrumque habiturum eandem æqualitatem, ne eadem entitas sit æqualis, & non sit æqualis, cur ego non inferam ex identitate prædicatorum utrumque prædicatum habiturum eandem similitudinem, ne idem prædicatum sit simile, & non sit simile: æquè enim contradictorie opponuntur simile, & non simile, ac æquale & non æquale, & æquè contrariè æquale, & inæquale: & simile, & dissimile; & identitas subiecti est eadem: ergo eodem prorsus modo philosophandum est de similitudine, & æqualitate.

Censeo in hac re infignem æquiuocationem committi, quæ ablata facilis est quæstionis resolutio: attende lege. Potest inquiri an Petrus possit esse à parte rei independentè ab intellectu æqualis Ioanni in prædicato specifico, & inæqualis in indiuiduali: & eodem modo similis in prædicato specifico, & dissimilis in prædicato indiuiduali, & hic interrogandi modus in quo multo quæstionem tractant planè est ineptus, quia à parte rei independentè ab intellectu non est conceptus specificus distinctus ab indiuiduali: ergo à parte rei non potest de illis disputari, tanquam de rebus distinctis: quapropter in hac quæstione negandum est suppositum, neque vltra procedendum, quia à parte rei non est gradus specificus, & indiuidualis: sed vna simplex entitas Petrus, Ioannes, & hic equus, quæ entitates eandem vnā, & simplicem similitudinem respectu vnus termini habent.

Si verò quæstio præcedat de similitudine, & æqualitate indum nostrum modum concipiendi, locum habet ratio, quia secundum nostrum modum concipiendi sunt gradus generici, specifici, & indiuiduales, & de illis agimus, ac si essent distincti, & in hoc sensu assero non inferri ex eo quod duo indiuidua sint inæqualia in differentia indiuiduali, esse inæqualia in differentia specifica ex modo concipiendi: inferri tamen esse inæqualia ex parte obiecti, quia obiectum semper est idem, siue cognoscatur differentia specifica, siue indiuidualis: modus tamen concipiendi est diuersus: sicut enim intellectus concipit Petrum, & Ioannem distinctos secundum differentias indiuiduales, & idem secundum differentiam specificam, eodem modo potest illos concipere inæquales in differentia indiuiduali, & æquales in differentia specifica: Idem dico de similitudine, seu dissimilitudine, quæ non ex eo quod ex parte modi apprehendatur in vno prædicato debet apprehendi in alio identificato ex parte modi, licet ex parte subiecti eadem similitudo, seu dissimilitudo in omnibus prædicatis apprehendatur, sicut eadem multitudo apprehenditur ex parte obiecti in ratione hominis apprehensa per modum vnus, ac in rationibus Petri, & Pauli, Ioannis, &c. per modum plurium.

Ex his infero posse differentias específicas esse inæquales & rationes genericas easdem specierum esse æquales ex modo cognoscendi, non quia aliqua ratio obiectiue æqualis apprehendatur in his rationibus genericis: sed quia ex modo cognoscendi eadem rationes, quæ fundant inæqualitatem specificam apprehenduntur ut æquales, non æqualitate aliquā positiua ex parte obiecti apprehensa: sed tantum aequalitate negatiua, hoc est, non apprehensa ex parte modi cognoscendi in æqualitate obiectiua, sicut non apprehensa ex parte modi diuersitate, & distinctione

distinctione inter indiuidua diuersarum specierum, omnia apprehenduntur, ac si essent vnum simplex obiectum, non quia positiua vnitas in obiecto apprehendatur, hæc enim esset fictitia, quia indiuidua diuersarum specierum nullam vnitatem obiectiuam habent. Eodem modo philosophandum est de similitudine, quæ negatiue potest in prædicatis superioribus inueniri, quia non apprehenduntur, vt dissimilia etiam prædicata inferiora positiue dissimilia apprehendantur: non possunt autem prædicata inferiora apprehendi dissimilia, & superiora positiue similia, quia positiua similitudo debet se tenere ex parte obiecti, & implicat ex parte obiecti esse similia prædicata superiora, & dissimilia inferiora, quia idem esset simile & dissimile: Idem intellige de æqualitate, & inæqualitate positiua.

§. III.

Quæ similitudo requiratur ad constituendum prædicatum specificum.

14 **P** Robauit §. præcedenti, animas brutorum non habere partes intrinsecè heterogeneas, quia si pars, quæ est in ossæ, tantum esset vegetatiua, & pars, quæ est in carne sensitiua, distinguerentur in specie: examinanda est hæc ratio & inquirendum, an si omnes partes ossium essent nutritiue tantum, & partes carnis nutritiue, & sensitiue: partes ossium haberent prædicatum quoddam specificum commune illis, quod non esset commune partibus carnis: & partes carnis aliud prædicatum specificum, quod non esset commune partibus ossis. Partem affirmatiuam defendo, & probō: Si partes carnis respecerent sensationem, quam non respecerent partes ossis, respecerent operationes specie distinctas: ergo distinguerentur specie. Probo consequentiam: Anima plantæ differt ab anima animalis, quia hæc respicit sensationes, & est principium illarum, & non illa: ergo eodem modo, & propter eandem rationem distinguuntur specie partes ossis, & partes carnis, quia partes ossis habent prædicatum simile, in quo conueniunt, quod non est commune partibus carnis, & partes carnis prædicatum simile in omnibus, quod non participant partes ossis.

15 Ex hoc inferri videtur non posse duo indiuidua eiusdæ speciei habere inter se maiorem similitudinem, quam non habeant indiuidua, neque posse duo indiuidua esse inter se magis æqualia, quam cum omnibus illis: ratio est, quia si Petrus, & Ioannes haberent maiorem similitudinem, aut æqualitatem, quam Petrus, & Franciscus, iam Petrus, & Ioannes conuenirent in illo prædicato substantiali, quod esset fundamentum illius similitudinis, aut æqualitatis: ergo Petrus, & Ioannes haberent prædicatum commune quod non haberet Franciscus: sed illud prædicatum esset specificum: ergo distingueretur in specie à Francisco: sola Minor indiget probatione: quando prædicatum substantiale est multis commune, non est indiuiduale: ergo saltem specificum. Ex hac doctrina inferitur indiuidua eiusdæ speciei non posse esse inæqualia, neque hæc inter se magis similia quam illa, quod eodem modo inferitur in partibus eiusdem indiuidui, contra dicta in generatione de gradibus qualitatibus.

16 Antequam difficultatem hanc soluiam: aliam in eadem materia propono, vt vtrique sit communis solutio. Ab hoc igne *A*, v. g. possunt provenire plures actiones productiue caloris, quæ non possunt provenire ab igne *B*, & ab igne *B* possunt provenire aliæ plures actiones, quæ non possunt provenire ab igne *A*: ergo actiones fluentes ab igne *A* habent prædicatum commune, quod non habent actiones fluentes ab igne *B*, scilicet posse provenire ab igne *A*, & è contrâ actiones fluentes ab igne *B* habent prædicatum commune, quod non conuenit actionibus fluentibus ab igne *A*, scilicet posse provenire ab igne *B*: ergo actiones fluentes ab igne *A* differunt specie ab actionibus fluentibus ab igne *B*. Idem argumentum fit de innumeris aliis modis, præsentis videlicet, plures enim respiciunt hoc spatium in quo conueniunt inter se, & differunt à præsentis respicientibus illud spatium.

17 Audiui aliquos recentiores concedentes actiones provenientes à diuersis agentibus, esse specie distinctas propter rationem dictam, & similiter præsentias respicientes diuersa spacia, & alios innumeros modos diuersa subiecta,

Francisc. de Quædæ, Philosoph. Tom. II.

terminosve distinctos respicientes. Contra quos efficaciter infero: omnia indiuidua humana modo existentia specie distinguuntur: illationem efficaciter probō. Modus vnionis est de essentia hominis: ergo quotiescunque distinguitur specie modus vnionis ab alio modo vnionis, specie distinguuntur illi homines, quorum essentia includit vnionis modum: sed modus vnionis Petri distinguitur specie à modo vnionis Ioannis: ergo Petrus, & Ioannes sunt omnes specie distincti. Minor vltima tantum indiget probatione, quam sic probō. Modus vnionis qui modò est inter materiam & formam Petri conuenit cum aliis modis, qui possunt esse inter eandem materiam, & formam in prædicato, quod non est commune modo vnionis, qui est inter materiam, & formam Ioannis, videlicet in hoc, quod est respicere hæc extrema: ergo habet aliquod prædicatum essentialiter, quod non habet modus vnionis Ioannis: ergo differt essentialiter à modo vnionis Ioannis: ergo & ipse Petrus, qui hunc modum essentialiter includit, differt essentialiter à Ioanne, qui non potest includere hunc vnionis modum. Ne concedamus Petrum à Ioanne specie differe alia via tenenda est.

18 Dicit aliquis, respicere hoc principium in hac actione & aliud agens in alia, non esse prædicata essentialia, quia tantum respiciunt terminos non distinctos. Hæc solutio licet apparens videatur, petitionem principij manifestam includit, intendit enim probare eadem obiectio hunc ignem differe specie ab illo, quia conuenit, cum alio igne in aliquo prædicato non illi communi, & hunc gradum caloris primum videlicet (tem explico in opinione constituyente subordinationem graduum) specie distingui à secundo, quia magis conuenit cum alio primo, quam cū secundo, quæ conuenientia non est in differentia indiuiduali: sed in specifica, & consequenter eadem obiectio probatur, actiones potentes terminari ad primum gradum caloris specie distingui ab actionibus potentibus terminari ad secundum caloris gradum.

19 Respondet Hurt. disp. 2. sect. 8. sub 6. hos respectus non posse constituere species distinctas, quia non sunt inæquales, differentia enim essentialiter opposita esse debent inæquales. Solutionem hanc reiciam §. 7. ubi probabo differentias específicas essentialiter oppositas non dicere inæqualitatem esse necessariò in illis imbitam.

20 Respondeo prædicto argumento, non quodcunque prædicatum commune facere differre subiectum essentialiter ab omni alio, cui non conuenit tale prædicatum, sed tantum illud prædicatum, quod notabiliter constituit dissimile subiectum, quod afficit, ab alio carente eodem prædicato. Ex hoc infero in duabus actionibus respicientibus ignem *A*, verbi gratia, prædicatum commune respicienti hoc principium, non facere illas specie differre, ab actionibus quæ non possunt hoc principium attingere, sed aliud diuersum debent respicere, quia per illud hæ actiones, non notabiliter sunt dissimiles, neque diuersæ ab aliis, respicere enim magis hunc ignem, quam illum prudenti æstimatione parui sit, ac proinde non sufficit ad differentiam essentialiter constituendam. Neque mireris ex prudenti hominum æstimatione oppositionem specierum taxari, quia licet quælibet entitas habeat ex se independentem ab omni actu externo sua prædicata intrinseca, quæ essentialia, seu indiuidua dicuntur, dici tamen hoc genericum, illud specificum, & aliud indiuiduale, & hanc speciem essentialiter distingui ab illa, licet dicat ex parte entitatis aliquid intrinsecum, quod fit fundamentum his denominationibus, denominationes tamen ipse formaliter gradus generici, specifici, differentiales, &c. sunt extrinseca, nimis pendentes ex modo cognoscendi, & moraliter æstimandi dissimilitudinem seu similitudinem rerum.

21 Dices tale prædicatum commune aliquibus indiuiduis vnus speciei, & non omnibus, per quod non differunt notabiliter inter se indiuidua, v. g. prædicatum, quo actiones dimanantes ab hoc principio illud respiciunt, & nõ aliud, nõ est indiuiduale, quia nihil indiuiduale est multis commune: quid ergo erit, cū medium non sit inter indiuiduale, & specificum? Responderi posset, esse indiuiduale non includens totam rationem adæquatam indiuiduationis: sed in adæquatam videlicet prædicatum aliquod, in quod & in alia simul resoluitur simplex prædicatum talitatis, seu Petreitatis, quod non est multis commune: sed proprium huius indiuidui, neque illud prædicatum significatum per modum vnus, nomine eccitatis cum aliis, cum quibus componitur,

componitur, est commune multis, sed tantum singulari indiuiduo. Non placet hæc solutio, neque illius doctrina, quia eccitas, & quælibet differentia debet esse irresolubilis, & indiuisibilis, non solum in partes, quibus formaliter, & actu componatur, sic enim species indiuisibilis est, quia species hominis significata hoc conceptu specifico, *homo*, formaliter non est partibus composita, ut probauit in Logica, sed debet esse ita indiuisibilis, ut non possit resolui in partes, quas adhuc, non ut partes, sed per modum simplicis conceptus includat. Secundò probò rationem illam communem multis indiuiduis non posse, adhuc inadæquatè, ad differentiam indiuidualem pertinere. Differentia indiuidualis est illa, per quam hoc indiuiduum differt ab hoc, & ab illo, & sic ab omnibus eiusdem speciei: sed ratio communis huic, & illi indiuiduo, non potest esse id, per quod hoc differat, adhuc inadæquatè, ab illo: ergo non potest pertinere ad differentiam indiuidualem. Minorem probò: cætera patent. Ratio communis est ratio conueniendi, quæ per differentias indiuiduales est diuidenda, & contrahenda: ergo neque inadæquatè potest ad rationem indiuidualem diuidentem, & contrahentem spectare, aliàs dicitur rationem specificam inadæquatè pertinere ad differentiam indiuidualem, & genus inadæquatè spectare ad differentiam contractiuam illius, & constitutiuam speciei.

22 Censeo tale prædicatum medium esse dicendum inter specificum, & indiuiduale: cuius conclusionis fundamentum esto rationes, quibus probauimus non posse esse specificum neque indiuiduale, ex quo inferitur esse quoddam prædicatum medium minus uniuersale specifico, & latius patens indiuiduali. Neque ex hac conclusione inferitur diuisionem speciei in omnia sua indiuidua sigillatim sumpta non esse immediatam, neque differentiam indiuidualem non contrahere immediatè specificam in linea prædicamentali, & iuxta diuisionem Prædicamenti, quia etsi mediet prædicatum prædictum, illud non pertinet ad lineam prædicamentalem, neque de illo agunt Dialectici, cum rationem supremam prædicamenti vique ad ultimam rationem partiuntur, quia illud ad differentiam indiuidualem reducant, etsi illam non constituat, quicquid enim est infra specificam essentiam, indiuiduale vulgo appellatur, & quia parum de natura horum prædicatorum cognoscenda curarunt, cum non notabiliter ex illorum diuersitate constitutum ex illorum aliquo differat.

23 Potest esse questio de nomine, an tale prædicatum dicendum sit essentialiale, vel accidentiale in qua existimo non esse dicendum essentialiale, quia idem sunt prædicatum essentialiale, ac specificum, ac proinde cum specificum non sit, neque essentialiale poterit esse. Neque potest dici proprium accidens metaphysicum speciei, quia proprium sue physicum, sue metaphysicum semper in quocunque indiuiduo speciem comitatur, ac proinde quicquid non est commune omnibus indiuiduis vnius speciei, non potest illius esse passio. Poterit dici accidens metaphysicum conueniens aliquibus indiuiduis vnius speciei quia in ordine ad prædicta, quæ ponuntur in recta linea prædicamentali potest adesse, & abesse, sed melius dicitur esse prædicatum quoddam substantiale medium inter essentiam & accidens, sicut dicitur medium inter specificum, & indiuiduale. Hæc dixi de prædicato, in quo conueniunt illa, quæ sunt similia inter se, & dissimilia ab aliis, quia similitudo fundamentum est ad vniucationem de æqualibus, & inæqualibus: aliter est philosophandum, probabo enim S. S. inæqualitatem, & æqualitatem, non fundare conuenientiam, neque disconuenientiam.

§. IV.

Difficultatis solutio.

24 PRÆMISI superioribus paragraphis, principia omnia, quibus hæc dirimenda sunt, quibus positis facile erit de illa iudicium ferre.

25 PRIMA CONCLUSIO. Prædicatum metaphysicum, per quod ultimò differit omnia indiuidua, in omnibus est primò oppositum, & æquè dissimile. Ratio est facilis: per hoc prædicatum indiuidua omnino opponuntur, nullam habent conuenientiam inter se, & quodlibet ex vi illius à quocunque alio singulariter sumpto, & ab omnibus à se distinctis differt, & habet disconuenientiam cum illis: ergo non potest per illud aliquam conuenientiam habere; ergo ne-

que similitudinem, quæ saltem tanquam fundamentum conuenientiam requirit.

SECUNDA CONCLUSIO. Infra eandem speciem possunt per prædicatum quoddam medium aliqua indiuidua esse æqualia inter se, & inæqualia ab aliis. Hæc conclusio constat expressè ex dictis S. superiori, ubi probauit posse aliqua indiuidua conuenire in aliquo prædicato, per quod non notabiliter differant. Tale erit prædicatum, per quod indiuidua possint simul habere tres cognitiones, & alia non possint tres simul, sed duas tantum habere, & prædicatum, quo hæc indiuidua possint per eandem cognitionem tres homines expressè cognoscere, & alia per vnam cognitionem non possint nisi vnum tantum cognoscere. Eiusdem rationis erit prædicatum, quo hæc indiuidua exigant materiam extensam per duas vias, & aliam per vnam cum dimidia tantum, imò eiusdem rationis esset prædicatum, quo hæc indiuidua exigant quinque gradus caloris, & tres frigiditatis, & alia, quatuor caloris, & quatuor frigiditatis, quia illa temperata non notabiliter differant, ac proinde in ordine ad illa non potest desumi specifica differentia.

Obiicies. Illa temperata specie differunt: ergo per ordinem ad illam desumi potest differentia specifica formarum. Antecedens probatur, quia plures gradus speciei differentes includit temperamentum constans quinque gradibus caloris, & tribus frigiditatis, quam temperamentum constans quatuor caloris, & quatuor frigiditatis. Respondeo temperata specie non differre ex eo præcisè, quod vnum exigat qualitates contrarias attemperatas, vno, vel alio gradu intensiori, vel remissiori in vna, vel altera. Ad confirmationem respondeo, temperamentum illud includere plures gradus non specie differentes ab aliis, à quibus pauciores alij eiusdem speciei differant etiam specie, ac proinde ex hoc capite non potest probari specie differentia in his temperamentis: imò neque in aliquo temperamento excedente aliud ex pluribus gradibus qualitatis: quia calor, ut vnum, & calor ut septem, eiusdem sunt speciei, ac proinde idem prædicatum specificum caloris continet temperamentum includens vnicum gradum caloris, ac aliud includens septem gradus, neque intensio earundem qualitatum speciem variat.

Ex hac doctrina, quæ verissima est, non contemnenda nascitur obiectio: cuius solutio deferuiet ad rem, quam incidenter tetigimus explicandam. Sequitur ex hac doctrina omnia temperamenta mixtorum esse eiusdem speciei. Probatur sequela: temperamenta omnia constans quatuor qualitatis specie eisdem, & tantum differunt per maiorem intensiorem huius qualitatis, & remissionem illius: sed intensio, & remissio non inducunt distinctionem specificam: ergo nihil est in temperamentis, per quod specie differant. Respondeo temperamentum non esse quoddam totum physicum, & per se vnitum: sed totum quoddam morale constans partibus, non in se vnitis, licet vniantur in subiecto, ac proinde differentiam huius temperamenti ab illo non esse sumendam ex aliqua differentia physica, quæ constituatur, & differat ab illis, quia quod non habet esse physicum non potest habere physicum constitutum: sed tota differentia temperamenti moraliter est assignanda, ad quam differentiam moralem plurimum conducit intensio, vel remissio: quia subiectum calidum ut vnum, & frigidum ut septem moraliter dicitur frigidum absolute: & frigidum ut vnum, & calidum ut septem moraliter dicitur absolute calidum, in quibus ex vobilitate maiori, vel minori intensione resultant moraliter denominationes rerum physicarum, quæ specie differunt. Dicitur autem illa intensio notabiliter maior, quæ ad diuersam formam substantialem disponat.

Temperamentum hominis, & temperamentum equi distinguuntur specie physica: ergo non tantum differunt moraliter. Resp. negando antecedens, quia temperamentum hominis, si ratione partium sumatur, non differt specie à temperamento equi, facta comparatione partium vnius temperamenti ad partes alterius, quia partes vtriusque temperamenti sunt calor, frigus, siccitas, & humiditas, quæ tantum in vno, & in alio in intensione differunt: temperamentum hominis sumptum indiuisibiliter ratione sui, quantum est vnum, physice differre non potest, quia quod non est vnum physicum, neque est totum physicum, physice constitutum, non potest physice ab alio differre: cum verò temperamentum non sit vnum physicum, sed

sed tantum morale, constitutum ex qualitatibus, quæ in se nullam unionem habent potest physicè differre, sed moraliter, quia quale est totum, est illius constitutum, & quale constitutum, est ratio, quæ ab alio differt.

30 TERTIA CONCLUSIO. Infra eandem speciem possunt esse duo individua metaphysicè, & physicè inæqualia. Hæc conclusio duplicem partem continet. Prior infertur ex conclusione præcedenti, & posterior ex priori, iuxta doctrinam traditam §. 2. Infero priorem partem ex præcedenti; duo individua possunt habere aliquod prædicatum ipsis commune, quod non sit commune aliis: ergo possunt in hoc prædicato physicè superare prædicatum illi correspondens in aliis individuis: ergo secundum hoc prædicatum possunt hæc individua, esse perfectiora aliis: ergo metaphysicè possunt hæc individua esse aliis perfectiora: ergo inæqualia. Posterior pars de inæqualitate physica probatur: quocircumque excessus quem habet hoc individuum respectu alterius, non compensatur per alium excessum, quem ratione aliis prædicati habebat individuum quod in vno prædicato excedit, excessus metaphysicus se tenet ex parte obiecti, & refunditur in physicam entitatem, & ratione illius vnum individuum excedit perfectionem alterius physicè, & à parte rei, sed posito excessu metaphysico in his individuis respectu illorum, non est necesse dari alium excessum in illis individuis respectu horum: ergo potest excessus metaphysicus ex parte horum dari sine alio ex parte illorum, quo compensetur: ergo non solum potest esse talis excessus metaphysicus in vno prædicato præciso respectu aliis prædicati præcisi ex parte modo cognoscendi, sed etiam ex parte obiecti, & physicè, ita ut hæc individua sint physicè aliis perfectiora. Ne multiplicatio terminorum, explicationem conclusionis difficilem redderet, illam tradidi de inæqualitate tantum, quæ eodem modo de dissimilitudine est intelligenda, quia formaliter illa, quæ inæqualitatem inter prædicata formaliter diuersa fundant, dissimilitudinem fundare necesse est, quod non alia conclusione trado, ne numerus illarum sine noua doctrina augeatur.

31 QUARTA CONCLUSIO. Nulla est necessitas ponendi in omnibus individuis cuiuscunque speciei conuenientiam, vel inæqualitatem, aut dissimilitudinem, quam diximus posse dari infra eandem speciem. Ratio est, quia nullum est fundamentum, quo cogamur tale prædicatum medium constituere inter prædicatum specificum & individuale, in individuis speciei Angelicæ, & animæ rationalis, & aliarum specierum quarum individua modi non sunt.

32 QUINTA CONCLUSIO. Infra eandem speciem animarum possibilia sunt individua, quorum aliqua sint æqualia, & alia inæqualia, & aliqua maiorem similitudinem, & conuenientiam habeant inter se quam cum aliis, ratione prædicati medij inter differentiam individualem, & specificam. Hæc ex iam præmissis necessaria consequentia deducitur, cuius hæc est illatio: si propter aliquam rationem intra eandem speciem repugnant hæc anima individua æquales, & inæquales, similes, & dissimiles, esset quia intra eandem speciem atomam possibilia non sunt individua similia, aut dissimilia, æqualia, aut inæqualia; sed probavi intra eandem speciem atomam aliarum rerum posse dari hanc æqualitatem, & inæqualitatem, similitudinem, aut dissimilitudinem: ergo nulla est ratio, propter quam intra speciem atomam cuiuscunque animæ non possint hæc diuersitates reperiri animarum, neque esse vltim caput ex quo repugnet, quod illarum possibilitatem necessariò infert, & à paritate entitatum modalium, in quibus sub eadem specie atomæ hæc individuorum diuersitas necessariò est admitenda, conclusio nostra suaderi potest.

33 SEXTA CONCLUSIO. Nulla est ratio, ex qua efficaciter possit probari animas, quæ de facto dantur, esse omnes æquales, aut inæquales, similes, aut dissimiles entitatiuè per aliquod prædicatum, quod sit infra eandem speciem animæ. Probatio huius conclusionis est argumentorum solutio, quæ pro altera contradictionis parte possunt adhiberi, quam faciliè quisque poterit reddere ex doctrina tradita, quæ possibilitatem animarum similitudinem, & dissimilitudinem, & inæqualitatem stabiluit; pleraque enim argumenta, quæ in hac materia fieri solent pro quacunque parte ex impossibilitate alterius petuntur. Neque vrget quod desumitur ex diuersitate accidentium, & operationum, quia vnus homo perfectiora accidentia habet, quam alius,

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. 1. l.

& perfectiores efficit operationes, tota hæc enim diuersitas operationum, in diuersitatem accidentium, & diuersitas accidentium in extrinsecas causas potest reduci: sicut enim idemmet homo aliquando imperfectè, & aliquando perfectè operatur propter diuersa accidentia, sic distincti homines æquales perfectione entitatiuè animarum possunt propter diuersas causas extrinsecas habere accidentia magis attemperata ad operationes eliciendas, & perfectiores effficere operationes: quæ instantia manifestè redarguit rationem desumptam ex inæqualitate operationum, ad inæqualitatem animarum inferendam. Diuersitas dispositio- num, & organorum quæ sunt inter marem, & feminam reducenda est in diuersas seminum temperies, quarum temperies huius seminis exigit deorganizationem maris, sub qua eadem forma introducit, quæ produceretur si in eadē materia feminea esset deorganizatio: sic illius seminis temperies femineam exigit deorganizationem, in cuius materia forma producitur, quæ produceretur si virili deorganizatione subfisteretur.

34 OCTAUA CONCLUSIO. Probabili, prudentique coniectura dici potest ex animabus exsistentibus quasdam esse æquales inter se, & ab aliis inæquales, quasdam inter se similes, & ab aliis dissimiles. Moueor fundamento adducto in generatione, vbi eandem conclusionem tradi de gradibus qualitatibus: vide ibi dicta. Accedat huic opinionioni pia alia opitulatio, videlicet posse secundum illam, excellentiam aliquam super omnia individua humana concedi purissimæ sanctissimæque Christi humanitati, & immaculatæ animæ Beatissimæ Deiparæ, si enim hæc prærogatiua potest illi tribui, cur dicemus sceleratissimi, & reprobi Iudæ animam æqualem fuisse animabus Christi, atque Deiparæ? Præcipue cum doceant Patres Beata Virgini tribuendam esse omnem prærogatiuam possibilem super omnes puras creaturas, sed hæc excellentia naturæ super omnia individua humana potest ipsa concedi: ergo non sine iniuria denegabitur, quod potiori, & longè excellentiori iure dicendum est de sanctissima Christi humanitate.

35 NONA CONCLUSIO. Circa partes eiusdem animæ in his, quæ diuisibiles sunt, philosophandum est eodem modo ac de individuis completis, scilicet possibiles esse partes æquales in perfectione constituentes vnā animam totalem, & similiter posse constitui animam partibus omnibus inæqualibus constantem, & aliam aliquibus æqualibus, & aliis inæqualibus: de facto tamen vt plurimum animas diuisibiles habituras quasdam partes æquales, & alias inæquales, quasdam similes, & alias dissimiles, & forsitan nonnullam reperiri habentem partes omnes æquales, & aliam inæquales omnes, licet raro: videtur enim moraliter impossibile intra tot partes, quibus tota anima componitur, non reperiri duas æquales, aut duas inæquales. Quæ omnia probanda sunt ex dictis de animabus completis, cum enim possibilis sit anima quæ partes habeat omnibus prædictis modis, & nullum sit argumentum, quod rei factum ostendat, de illo iudicandum est iuxta communiter accedentia in aliis materiis.

§. V.

An differentia essentialiter opposita necessariò inæqualitatem importent.

36 Solutio, quam ex Hurtado referebam §. 3. pro argumento, quod ibi expendebat, impugnanda erat probando posse duas differentias constituentes species essentialiter oppositas esse inter se perfectione æquales, quod ibi omisi, vt hic latius examinarem, an hæc inæqualitas semper species distinctas essentialiter comitetur.

37 Pater Suarez tract. 2. Metaph. disp. 29. sect. 3. n. 16. vt probet non dari duo entia increata specie distincta, hoc vitur dilemmate: Illa entia vel essent æqualia, vel inæqualia: æqualia esse non possunt, quia non possunt dari duæ species æquales perfectione aut duæ differentie essentialiter oppositæ perfectione æquales; & hac occasione disputat, an vniuersaliter verum sit, omnes species esse perfectione inæquales. Affirmatiuam partem tenet, quam vult inferre ex Aristot. dicente 10. Metaph. text. 5. differentias diuidentes genus se habere vt se haberent priuatio & habitus, & sicuti sunt semper priuatio, & habitus perfectione inæquales, ita eandem inæqualitatem habere debent differentie essentiali.

essentialiter opposita. Ex hoc dimanasse docet Suarez illud axioma: *Species sunt sicut numeri, in quibus non reperiuntur duo aequales*. Ceterum cum similitudo non debet teneri in omnibus, recte potest reperiri inter differentias oppositas relatae ad priuationem, & habitum, & relatae ad numeros, etiam si species essentialiter opposita aequalitatem entitativam teneant, hac enim in speciebus assignata, dicta proportionem servabunt cum habitu, & priuatione, quia sicut habitus & priuatio non possunt in eandem rem simul cofluere, ita species opposita, & illarum constitutiva differentiae non possunt in eandem entitatem convenire, & sicut numerus omnis in indivisibili consistit, ita quicquid illi addatur, vel adimatur ab illo, non fit idem numerus, sed alius; ita essentiae consistunt in indivisibili, & illis non potest quicquam addi, neque auferri.

38 P. Suarez probat praedictum axioma hoc modo; si duae species oppositae essent aequales perfectione, aequae distarent a non ente: ergo non haberent vnde possent trahere distinctionem specificam, neque specie distinguerentur. Concesso antecedenti, nego consequentiam, sicut enim in rebus, quas possumus materialiter metiri, duos terminos reperimus aequae distantes ab eodem tertio, vel ab eodem centro, & inter se oppositos, & distinctos: v.g. villam distantem ab hac domo per vnam leucam linea recta versus Orientem, & casam distantem per aliam leucam linea recta versus Occidentem ab eadem domo; in quibus reperimus duos terminos distinctos, & oppositos cum aequali distantia ab eodem centro, sic in speciebus positivis possunt duae reperiri distinctae, & oppositae, & aequaliter a non ente distantes. Imo si fidei trutinam res appendenda sit, cum duae species, vel duae entitates positivae existunt, & distant a non ente, non distant ab eadem ratione indivisibiliter sumpta, sed a diversis rationibus inter se distinctis, quae continentur in hoc complexo *non ens*, in quo est *non esse hominis*, *non esse equi*, *non esse leonis*, &c. & cum existit homo destruitur per ipsius existentiam *non esse hominis* contentum in illo complexo *non ens*, non vero *non esse equi*, & ita homo positivae existens fit distans a non esse hominis, & non fit distans a non esse equi; cum existit equus, per existentiam ipsius equi destruitur non esse equi contentum in illo complexo, & non destruitur non esse hominis in eodem contento, & ita homo, & equus non distant ab eadem ratione non entis indivisibiliter sumpta, sed a diversis rationibus distinctis realiter inuolutae significatis in hoc complexo *non ens*.

39 P. Vasquez 1. part. disp. 122. cap. 4. n. 13. probat, specie distincta non posse esse aequalia, quia, quae aequalia sunt commensurari possunt; quae commensurantur, necessarii debent esse eiusdem rationis: ergo quae sunt diversae rationis commensurari nequeunt: ergo non possunt esse aequalia. Si aliquid probaret haec ratio, convinceret res specie distinctas non esse aequales, neque inaequales; sicut enim aequalitas non potest desumi, nisi per commensurationem, ita commensuratio est vnicum fundamentum ad inaequalitatem cognoscendum; neque minus essentialiter inaequalitas, quam aequalitas commensurationem connotat: ergo ea, quae non commensurantur, neque aequalia, neque inaequalia dici possunt: sed in opinione Vasquez species distinctae commensurari nequeunt: ergo non possunt esse aequales, vel inaequales. Videat Vasquez quomodo facienda sit commensuratio specierum, ad earum inaequalitatem, & excessum alterius defendendum, vel ex quo capite possint, sine commensuratione cognosci, & eadem ratione specierum inaequalitatem inuenire poterimus.

40 Respondendum est, in quantitatibus molis mensuram, & mensurabile, debere esse eiusdem rationis, non enim possumus metiri vnam ligni, cum libra ferri; sed pondus pondere, & extensione extensio debent conferri, ut aequalitas, vel inaequalitas deprehendatur, quia in his mensuris id quod immediate mensuratur, non est rei substantia, sed aliquod illius accidens v.g. pondus, vel extensio, ex quorum diversitate diversitatem entitativam substantiae inferimus. In quantitate perfectionis longe aliter fit commensuratio inter ipsas substantias immediate, quia intellectus ex accidentibus cognitis momenta cuiusvis substantiae deprehendit, & postea immediate substantiam substantia metitur, & cognoscit hanc esse imperfectiorem, illam perfectiorem, est vtraque sit diversae rationis, & secundum rationes constitutivas cuiusvisque, & inter se longe diversas fiat comparatio, quod fieri non possit in aliis mensuris,

quae sunt per tactum vnius corporis cum alio, vel per continentiam vnius in alio, vel per impulsivumque imprimi-
tina, non enim possumus dicere, argenti libra est aequalis, vel inaequalis panni vnae, neque bene pondus extensione taxamus. Ex quo inferitur diverso modo fieri commensurationem in quantitate molis, & in quantitate perfectionis: & sicuti quantitates perfectionis longe distinctae, & diversae rationis possunt inter se mensurari, in ordine ad inaequalitatem, ut tatur Vasquez dum dicit, species distinctas inaequales esse possunt, in ordine ad aequalitatem, commensurari: commensuratio enim indifferens est, ad aequalitatem, vel inaequalitatem deprehendendam.

Arguit secundo: species, eo ipso, quod sint diversae, habent quantitates diversas: ergo inaequales. Resp. aequalitatem, aut inaequalitatem, non desumi ex naturis rerum, quatenus hanc, vel illam speciem constituunt, sed quatenus apprehenduntur cum tot gradibus perfectionis. Dicitur quatenus apprehenduntur, quia in substantia indivisibili, v.g. in Angelo non sunt gradus distincti, sed simplex perfectio, illam tamen non aliter, quam per graduum numerum possumus explicare, & Angelum imperfectiorem Archangelo apprehendimus cum paucioribus perfectionis gradibus, ex quorum numero praecise abstrahendo a perfectionis natura, aequalitas, vel inaequalitas deprehenditur. Sic abedo intensa ut octo, & nigredo intensa ut octo habent aequales intensiones, etiam si illarum naturae longe sint diversae, & specie distinctae.

Aliter posset impugnari aequalitas in rebus specie distinctis: si darentur species aliquae inter se aequales in perfectione, pono esse leonem, & equum, magis differret leo ab homine, quam ab equo, & maiorem convenientiam haberent equus, & leo, quam equus, & homo in ratione formae simplicissimae, per quam differunt haec species, quia huiusmodi conveniret cum rugibili in gradibus perfectionis, in quibus non conveniret cum rationali: ergo non omnes differentiae immediate genus contrahentes essent aequae oppositae, neque quilibet haberet omnimodam oppositionem cum alia, quod est absurdum, & contra omnes Philosophos, atque Dialecticos.

Antequam argumentum dissolvam, illud retorqueo, in 43 opinionem constituentem omnes species, & omnes differentias illarum constitutivas necessarii inaequales. Si huiusmodi est perfectum ut tria, rugibile ut quatuor, rationale ut quinque: rationale, & rugibile conveniunt in quarto gradu perfectionis, in quo non convenit huiusmodi: ergo aliqua convenientia est inter rugibile, & rationale, quae non est inter rugibile, & huiusmodi: ergo non omnes differentiae aequae opponuntur, neque rugibile est id, per quod vltimum differt leo ab homine; quidem in ipsa differentia rugibilis aliqua convenientia reperitur cum rationali.

Respondeo data aequalitate perfectionis inter duas differentias, & inaequalitate ipsarum cum aliis, adhuc non reperiri convenientiam aliquam inter differentias aequales, neque minus differre species inaequales in perfectione, quam aequales, quia aequalitas perfectionis nullum fundamentum praebet ad abstrahendam rationem aliquam vniuocam: maior enim perfectio in hac specie, seu differentia, sicut minor in alia, dicit rationem quamdam perfectiorem indivisibilem, quae non constat gradibus perfectionis, licet nos explicemus perfectiones has per perfectionem ut tria, & ut quatuor, &c. quia non habemus voces, quibus explicemus perfectionem quamdam simplicem, & indivisibilem excedentem aliam etiam simplicem: & ita id, quod nos vocamus perfectionem ut quatuor in rugibili, & perfectionem ut quatuor in alia differentia aequali, v.g. mugibile dicit duas perfectiones omnino oppositas, absque ulla convenientia in ratione, neque in differentia huiusmodi; quam dicimus perfectam ut tria; & rugibilis perfectam ut quatuor, est aliqua inconuenientia in tertio gradu perfectionis, sicuti neque in rugibili differentia perfecta ut quatuor, & rationali ut quinque reperitur vniuocatio in quarto gradu perfectionis, quia etiam si per hos gradus differentias explicemus, neque sunt ex parte obiecti, neque nos apprehendimus esse, sed rem quamdam simplicem apprehendimus, quam explicamus per graduum diversitatem sicuti Angelum, quem spirituale, & incorporeum iudicamus, per species corporeae iuuenis apprehendimus.

Secundo respondeo: adhuc admitta hac intentione graduum perfectionis respectu nostri intellectus fundamentum non

non præbere ad abstrahendam rationem vniuersalem, neque ad maiorem convenientiam apprehendendam inter differentias æquales, aut inæquales, ut patet in ipsa intentione realis: non enim magis differt albedo ut quatuor, ab albedine ut duo, quam ab alia albedine ut quatuor, quia quando gradus, seu entitates, quæ adduntur sunt eiusdem rationis, eadem manet differentia, siue addantur, siue non addantur, ut patet in exemplo adducto qualitatibus intensæ, & remissæ. In indiuiduis distinctis facile potest oculis doctrina tradita proponi, æquæ enim differt essentialiter vnus homo vel plures homines, quomocumque comparentur, ab vno, vel à pluribus equis, neque maior est convenientia vnius hominis, cum vno, vel cum pluribus hominibus, aut plurium hominum, cum vno, vel cum pluribus hominibus: Additio enim entitatum eiusdem rationis differentiam, & convenientiam essentialem in prædicatis metaphysicis omnino relinquit immutatam. Concludo ex his æqualitatem aut inæqualitatem in perfectione, non dicere convenientiam, aut disconvenientiam in rebus æqualibus, aut inæqualibus, siue physicis, siue metaphysicis, quia eadem æqualitas intentionis est inter albedinem ut octo, & nigredinem ut octo, quam inter duas albedines ut octo, nihilominus, duæ albedines ut octo, tantum numero differunt & albedo, & nigredo, etiam si vtræque sit ut octo, tantum genere conueniunt. Et eadem est convenientia specifica inter albedinem ut octo, cum albedine ut octo, & cum albedine ut quatuor, nihilominus albedo ut octo, est æqualis albedini ut octo, & inæqualis albedini ut quatuor: & eadē ratione philosophandum est, de inæqualitate metaphysica, etiam si apprehenderetur intensæ, & cōposita ex gradibus quam dixi, non ita apprehendi, sed tantum per species intentionis, sicuti Angelus apprehenditur per species inuenis.

De dissimili multitudine, longè est diuersaratio, quia dissimilitudo non tantum dicit additionem perfectionis eiusdem rationis, sed specialem rationem, in qua conueniunt illa, quæ sunt similia, & per quam differunt ab aliis entitatibus dissimilibus.

Solutis rationibus, quæ inæqualitatem poscebant in rebus specie distinctis, nulla alia indigebamus ad asserendum species distinctas posse esse æquales in perfectione essentiali. Nihilominus pro hac conclusione itabilienda sic arguuntur. Tres personalitates diuinae, specie distinguuntur, & sunt æquales in perfectione: ergo distinctio specifica non necessarium secum trahit inæqualitatem. Propter hoc argumentum P. Suarez loco citato asserit, non euidenter esse, sed tantum probabile axioma, quod vulgo traditur de inæqualitate in rebus distinctis, nonnullaque adducit, ut disparitatem adducat in rebus respectiuis, & absolutis quæ non vacat impugnare, licet non multo negotio fieri posset. P. Vasquez suprà asserit personalitates, prout distinctas ab essentia non dicere perfectionem aliquam neque in Trinitate esse tres perfectiones, aut tres bonitates relatiuas, licet sint tres vnitates, quod difficillimè est, illud tamen omitto, quia nimis Theologum, & meum in hac re opus est Philosophum instruere, non edocere Theologum.

Secundò arguo: non repugnant duo animalia, quæ habeant operationes ita notabiliter differentes, ac illas habent equus & leo, & sunt æqualia inter se, tam principia operationum, quam operationes, de his ergo inquirō, an specie distinguerentur, vel non si specie distinguuntur, nõ requiritur inæqualitas ad specialem distinctionem: si non distinguuntur, poterunt dari indiuidua, quorum operationes notabiliter differant, non specie differentia. Et nullum argumentum erit, ad affirmandum equum, & taurum specie differre, quia licet habeant operationes notabiliter differentes, non potest nobis certò constare, has operationes esse inæquales in perfectione. Dices repugnare indiuidua, quorum operationes æquales in perfectione notabiliter differant, quia de ratione illorum, quæ specie differunt, est inæqualitas perfectionis in operationibus, & illa indiuidua specie distinguerentur propter operationes notabiliter differentes, & non distinguerentur propter æqualitatem perfectionis, quam nos fingimus. Euationem hanc facile præcludo; ego pono duo indiuidua, quorum operationes sunt perfectione æquales, & notabiliter differunt, & non affirmo specie distingui. Tu dicis ad distinctionem specificam, requiri essentialiter inæqualitatem operationum, & non sufficere notabilem illarum differentiam: ergo in illis indiuiduis, à me assignatis, iuxta tuam doctrinam, non est specifica differentia, etiam si notabiliter differant secundum

Franc. de Oniedo, & bioloph. Tom. I. l.

se, & secundum suas operationes: ergo non inuenitur in illis indiuiduis contradictio, quam tu assignas, videlicet distingui, & non distingui in specie, sed tantum inuenitur notabilis differentia, sine distinctione specifica, in quo nulla est contradictio, quia notabilis differentia sufficiens non est iuxta tuam doctrinam, ad constituendam differentiam specificam, ac proinde non licet tibi inferre indiuidua à me assignata distingui specie ex eo, quod notabiliter differant, neque potes arguere, illa indiuidua distingui, & non distingui specie, sed tantum in te inferitur, non distingui specie indiuidua, quorum operationes notabiliter differant, neque certum esse equum, & taurum specie distingui, quia probari efficaciter non poterit, operationes equi omnibus pensatis esse perfectiores operationibus tauri.

Ex hac doctrina aliud desumo argumentum, ad probandum, non requiri inæqualitatem perfectionis, ad distinctionem specificam. Præcisè ex sola notabili operationis differentia, sufficienter species distinguuntur: ergo non est necessaria inæqualitas, ad hanc distinctionem constituendam: Antecedens probat communis omnium hominum consensus, qui agentes de æqualitate, aut inæqualitate rerum, illa indiuidua dicunt specie distingui, quæ operationes habent notabiliter differentes, nulla alia ratione ducti: consensus autem hominum in hac re quàm plurimum præstat, quia tota hæc differentia, aut conuenientia specifica, & generica, & tota prædicamentorum series & acolythia non ex certa regula, neque ex ratione metaphysica, vel naturali desumitur, sed ex prudenti arbitrio Aristotelis, & Philosophorum, qui illum Magistrum sunt sequuti.

PUNCTVM IX.

An in quolibet viuenti vnica tantum detur anima.

Inter dogmata, quæ de anima rationali Puncto 3. retulimus, vnum erat, cuilibet homini distinctam respondere animam: Examinandum est modò, an homo, aliæque viuentia plures includant animas, quibus componatur. Qui negant specie dari plures formas in eadem materia, pertinentes ad idem compositum, consequenter negant plures animas in eodem viuenti: non tamen qui admittunt plures formas, tenentur admittere plures animas, quia possunt aliquam specialem rationem in viuentibus assignare, seu in ipsis animis, propter quam non possunt plures idē viuens constituere. Egi in Physicis de multitudine & simplicitate formarum, in eadem materia, & ex ibi dictis posset inferri pro hac questione: vnica tantum anima constituit quodlibet viuens. Nihilominus ut circa hanc specialem materiam, aliorum explicem errores, & in illa firmiora iaciam fundamenta pro veritate, quam plures Catholici putant, placeat specialiter probare, quodlibet viuens vnica tantum gaudere anima.

Mitto Scoti opinionem constituentis 4. sentent. distinct. xi. quæst. 3. plures formas in viuenti, quarum vnā tantum animam appellat, contra quem egi in Physicis. Plato plures in eodem viuenti realiter distinctas, & loco diffusas admittit animas, vegetatiuam in hepate, sensitiuam in corde, rationalem in cerebro. Philoponus 1. de anima cap. vlt. text. 91. ponit tres animas in loco diffusas, ut aiebat Plato, sed in eadem parte loci, atque subiecti. Philopono cōsentire videtur Ockam quodlibet 2. q. 2. Manichæi, teste August. 10. super Genes. ad liter. cap. 14. dicebant similiter in homine esse tres animas distinctas realiter, vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem. Paulus Venetus Summa de Anima, c. 5. docet in plantis vnā esse animam vegetatiuam, in animalibus imperfectis esse vnā sensitiuam; & in homine esse duas animas totales, sensitiuam corruptibilem, & aliam intellectiuam immortalem, & vltra has esse plures vegetatiuas specie differentes secundum multitudinem partium, vnā in ossibus, aliam in carne, aliam in corde, & sic in reliquis partibus.

Communis ferè omnium sententia tenet, in vno viuenti vnica tantum dari animam, & in homine rem ita se habere est iuxta mentem omnium Patrum, fidei valde consonum, & oppositum multi damnant tanquam errorem. Albert. tract. 2. c. 1. & lib. de origine animæ cap. 4. hæc profert pro nostra sententia: *Error est contra omnem veritatem natura, sensitiuum, & vegetatiuum plures facere substantias in animali, nec vquam vnus Peripateticorum dixit hoc.*

sed quidam Philosophiam ignorantes confinxere. Idem dixit sanctus Thomas 1. contra Gentes cap. 58. à prima parte quest. 56. Dicit Augustinus inter errores Manichæorum refert loco supra citato sententiam asserentem plures dari animas in viuenti, & in Ecclesiasticis dogmatibus c. 15. sic scribit: Nec duas animas esse in homine dicimus, vnam animalem, quæ animetur corpus: & immixta sit sanguini: alteram spirituales, quæ rationem ministret: sed dicimus vnam esse, & eandem animam in corpore, quæ corpus sua societate viuificet, & semetipsam sua ratione disponat. Eisdem verbis loquitur de spiritu & anima, & libro de fide, & symbolo Augustino consentit Damascenus cap. 12. Expresse habetur hæc sententia actu decimo, Canon. 11. octauæ Synodi generalis Constantinopolitane quartæ. Apparet quosdam id temporis, in tantum impietatis venisse, ut duas in homine animas impudenter dogmatizarent, quos omnes, & similia sentientes, cum veteris, & noui testamentum, & omnes Ecclesiæ Patres vnam animam rationalem in homine asseruerint, Sancta vniuersalis Synodus anathematizat. Concilium hoc, ut Oecumenicum, & vniuersale admitti percipitur in decreto, c. Sancta, dist. 8. lege Carantanæ Archiepiscopi Toletani in summa Cōcilliorum, qui aduertit, verba relata reperiri in codicibus emendatioribus huius Concilij, licet non inueniantur in aliis non ita bene expolitis. Propter auctoritatem huius Synodi multi existimant huius conclusionis doctrinam, aut esse de fide, aut fidei proximam, in quibus est Toletus lib. 2. de anima c. 3. q. 7. Nolter tamen Pereira lib. 4. in Genes. & alij agere ferunt oppositā erroris insinuari, cum eam nonnulli tenuerint Catholici, nec ideo ab Ecclesiā inter hæreticos annumerentur. Vnde Concilium explicat de duabus animis rationalibus constituentibus eundem hominem, vel de duabus animis vna informante, & altera assistente. Quidquid sit de erroris censura, in oppositam sententiam, eam non sine temeritate puto posse defendi: est enim contra Patres Ecclesiæ, & omnes Doctores Scholasticos, vno vel altero dempto, omnique destituta fundamento.

4. Ratione Theologica solet hæc conclusio probari: Si in Christo fuit anima sensitua distincta ab intellectuua, vel corrupta fuit in triduo mortis Christi, vel permansit existens: Si permansit, vel vnita corpori vel coniuncta cum rationali; si coniuncta cum rationali, sequitur duas Christi animas ad inferos descendisse, quod inauditum est apud sanctos Patres, & apud omnes malè audit; Si permansit vnita, sequitur corpus Christi in triduo mortis fuisse viuēs vti bruti sensitua, & non rationali, quod non sine errore dicitur. Si dicas Christi animam sensitua fuisse corruptam, est contra communem Patrum & Theologorum consensum, qui nullam Christi partem essentialē periisse docent: sed tantum dissolutam fuisse vnionem, iuxta illud: *Plur. Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.*

5. A priori probatur nostra conclusio. Eadem indiuisibilis anima potest esse principium operationum ratiocinandi, sentiendi, & vegetandi; ergo eademmet potest esse vegetatiua, sensitua, & rationalis. Consequentia est necessaria: quia animam esse vegetatiua, sensitua, & rationalem, nihil aliud est, quàm esse principium vegetationis, sensationis, & ratiocinationis; ergo si eademmet anima est principium harum operationum, erit simul vegetatiua: sensitua, & rationalis. Antecedens probatur diuersitas operationū non impedit ab vno eodemque principio omnes dimanare, sensatio enim materialis rectè potest à principio spiritali procedere; sicuti alij plures materiales effectus à principio spiritali producuntur: & anima ratione potentiari, si illas habeat, vel ratione specierum, vel aliorum principiorum poterit determinari ad producendas modò has operationes, & postea illas, has in hac parte subiecti, illas in alia parte. A posteriori similiter probatur nostra conclusio, quia in homine operationes vitales sese mutuò impediunt, diuturna enim, & interna mentis contemplatio, & studiorum assidua cura non parum nutritioni nocent, & nimia operationum sensibilibus vehementer operationes intellectuales perturbant: ergo signum est, has omnes operationes, ab vno principio, videlicet ab vna anima procedere, cuius virtus, ut pote finita, minor est ad singula. Nec valet dicere, in causa esse spiritus conducentes ad operationes sensitiuas eliciendas, qui destitutam relinquunt animam vegetatiua non valentem sine illis proprios exercere actus, quia pro diuersis animis, diuersi spiritus assignandi essent. Mitto rationes, quæ sumuntur ex multiplicitate formarum substantialium, quas expendi loco citato.

Alias adducit Toletus supra relatus, quas non omnes effaces reputo, harum hæc est vna: Si in homine datur anima sensitua, & rationalis, sequitur hominem esse brutum, & rationalem, quod est absurdum. Consequens absurdum est, si fateretur, sed sequelam nego; brutum enim dicit formam sensitua existentem in subiecto sine rationali, & talem formam sensitua, quæ cum rationali coniungi non potest, quam non haberet homo, etiam si haberet duas animas, sed aliam sensitua necessariò cum rationali coniunctam. Arguit similiter idem Toletus: Si anima rationalis, & sensitua distinguuntur, hæc prædicatio, *homo est animal*, non est essentialis, sed tantum per accidens vera ratione identitatis subiecti, sicuti hæc prædicatio, *album est dulce*. Nego antecedens, homo enim essentialiter dicitur animam sensitua, & rationalem, licet ipse inter se distinguatur, *album autem* non dicit dulcedinem, neque dulcedo, & albedo connexionem habent, sicuti illam retinet forma rationalis cum sensitua, adhuc in opinione distinguente illas.

Contra nostram sententiam obicit solet Arist. lib. 2. de generat. animalium, c. 3. vbi dicit: hominis foetum, prius viuere vita plantæ, postea vita animalis, & tandem vita hominis: ex quo infertur, in homine plures esse vitas, seu plures animas. Respondent nonnulli ex D. Thoma 1. p. q. 76. art. 3. q. 118. art. 2. ad 2. qui in hac re sententiam Medicorum fuit sequutus: in materiam feminis, prius induci formam vegetatiua, postea sensitua expellentem primò productam, tandem rationalem expellentem aliā sensitua. Neque ideo admittunt, semen informati formæ plantæ aut bruti, quia prima forma, etsi tantum habeat virtutem vegetatiua, non dicitur forma plantæ, quia ex natura sua ordinatur ad rationalem, & propter eandem rationem, alia immediatior non dicitur forma bruti, sed embryonis, quia formæ plantæ & bruti non ordinantur ad alias, neque sunt quasi ex natura sua transeunt, & definientes in aliam perfectiorem, sed permanentes, & vltimò per se intentæ. Magis placet alia solutio desumpta ex Alberto Magno in summa de homine, solum scilicet animam rationalem, induci in materiam feminis, & primò exercere operationes virtutis vegetatiua, postea sensitua, postremò rationalis, & hac ratione dicitur, prius viuere in actu secundo vita plantæ, hoc est, exercere operationes cōmunes cum plantæ, postea, vita animalis, in eodem sensu: & tandem vita rationalis.

Inquiri solet: an anima rationalis formaliter, vel eminenter includat animam vegetatiua, vel sensitua? In qua re Resp. contra Caietanum 1. p. q. 76. art. 3. Bañes ibid. & alios Thomistas, vegetatiua, & sensitua præcisè sumpta formaliter includi in anima rationali, quia anima rationalis est principium formale actionum, quibus formaliter conuenit ratio vegetationis, & sensationis, & nihil aliud est vegetatiua formale, quàm principium formalis vegetationis: & sensitua formale, quàm principium formale sensationis formalis: verò sensitua, & vegetatiua sumuntur, non præcisè, sed exclusiue, videlicet vegetatiua dicens negationem sensitui, & sensitua dicens negationem rationalis, quatenus vegetatiua, plantam constituit, & sensitua brutum: sentio neque formaliter, neque eminenter includi in animo rationali, quia animus rationalis essentialiter dicit principium sentiendi, & ratiocinandi, cui quo neque formaliter, neque eminenter componitur negatio talis principij, & hoc modo sumpta, vegetatiua, & sensitua opponuntur cum anima rationali ipsissima oppositione, quæ opponuntur rationale, & irrationale, quod neutrum potest continere alterum, neque formaliter, quia differentia diuidentes genus, & essentialiter opposita, omnimodam habent oppositionem, neque vna potest aliquo modo alteram continere. Deinde sensitua non præcisè sumptum, eadem ratione, quæ dicit negationem rationalis, dicit principium aliarum actionum, rugitus, vel hinnitus, v. g. quæ in homine, neque formaliter neque eminenter continentur, & sicuti dici nequit, hominem eminenter esse equum, ita dici non potest eminenter continere sensitua, non præcisè, sed specialiter sumptum. Idem dico de vegetatiua plantæ, quod passiones, seu proprietates aliquas dicit, quatenus excludit sensitua, quas formaliter, neque eminenter continet homo. Quod dixi de vegetatiua, & sensitua respectu hominis, intellige de vegetatiua respectu animalis.